
3 1761 08824593 1

HANDBOUND
AT THE



UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/gymnasiumsivesym00crom

.aL.Gr
C9453g
8892
1
25

CLAVIS GYMNASII,

EDITIONI QUINTÆ ACCOMMODATA,

SIVE

EXERCITATIONES

IN SYMBOLAM CRITICAM,

PARTIM, SICUT IN VETERIBUS EXSTANT, DATÆ, ET PARTIM A

REV. ALEX.RO CROMBIE,

LL.D. F.R.S. M.R.S.L.

LATINE REDDITÆ.

EDITIO TERTIA EMENDATIOR, ET NOTIS AUCTIOR.

Londini:

PROSTAT VENALIS APUD R. HUNTER,
AD ÆDEM DIVI PAULI.

MDCCCXXXV.

ERRATA IN CLAVI.

P. 3. In nota (*a*) lege " Gym. Vol. I., p. 263."
P. 15. In nota (*a*) lege " Gym. Vol. I., p. 28, et Vol. II., p. 317."
P. 29. In nota (*c*) lege " Gym. Vol. II., p. 33."
P. 55. In nota (*b*) lege " Gym. Vol. I. p. 277."

ERRATUM IN GYMNASIO.

In Vol. II., p. 268, vv. 28 et 29, legendum est, si aliter sit excusum, *legi;* itemque in p. 269. v. 1.

10338
2/12/90

Londini: Excudebat G. Woodfall, Angel Court, Skinner Street.

OMNIBUS,

JUVENTUTI AUTEM PRÆCIPUE,

LATINÆ LINGUÆ STUDIOSIS,

Hanc Gymnasii Clavem,

QUALISCUNQUE SIT,

QUUM DISCENTIBUS, TUM ETIAM DOCTORIBUS, NONNIHIL

FORE ADJUMENTI SPEM HABENS,

SUMMA CUM BENEVOLENTIA,

OFFERT DICATQUE

AUCTOR.

Lately published, in Two Vols. 8vo., price 24s. in boards,

NATURAL THEOLOGY;

OR,

ESSAYS

ON

THE EXISTENCE OF DEITY

AND OF PROVIDENCE;

ON THE IMMATERIALITY OF THE SOUL,

AND

A FUTURE STATE.

BY THE REV. ALEXANDER CROMBIE,

LL.D. F.R.S. AND M.R.S.L.

CLAVIS GYMNASII.

Ex. I. Vol. I. P. 7.

Athenienses urbis suæ mœnia ædificabant. Hanc rem[a] moleste ferebant Lacedæmonii. Themistocles per hunc dolum[b] eos decepit. Spartam, uti legatus, contendit, et Lacedæmoniis muros ædificari negavit. "Si vero," inquit, "mihi non credatis[c], certos mittite homines, qui urbem explorent, et interea me detinete."

Ex. II. Vol. I. P. 10.

Themistocles simul nuncium clam ad Athenienses misit, eosque monuit[d], ut Lacedæmonios exploratores, donec mœnia ædificassent, et seipsum recepissent, quacunque ratione[e]

---

[a] Quam rem. [b] Hocce dolo.

[c] Haud mihi fidem habetis. (*Si*, seu quid certum, seu incertum notans, adsciscit, contra quàm censet Diomedes, vel Indicativum, vel Subjunctivum modum.)

[d] Suadens—Iisque suasit. [e] Quoquo modo possent.

Athenis detinerent. Athenienses ejus consilio paruerunt[a]. Themistocles itaque receptus est, Lacedæmonii exploratores redditi sunt, et Athenæ, Lacedæmoniis invitis, munitæ.

Ex. III. Vol. I. P. 19.

Paterfamilias, quodam die, Aristippum adiit, rogavitque, ut filium suum erudiendum susciperet. Philosopho quingentas drachmas pro mercede poscenti[b], pater, qui perquam avarus erat[c], pretio deterritus, dixit, se mancipium minoris emere posse[d]. "Ita facito[e]," dixit Aristippus, "et tunc habebis duo."

Ex. IV. Vol. I. P. 22.

Hasdrubal magno cum exercitu in Italiam trajecit[f]; et de Romano imperio actum foret[g], si Hannibali fratri sese jungere potuisset. Sed

---

[a] Quemadmodum ille monuit, fecerunt.

[b] Philosopho poscente . . . . pater territus est, dixitque.

[c] Ad rem avidissimus. (*Ter.*)

[d] Mancipium a se minoris emi posse.

[e] Ita facias. Eme. Ematur.

[f] Transiit.

[g] Romanum imperium periisset.

Claudius Nero, parte exercitûs in castris relicta, cum paucis delectis copiis ad Hasdrubalem properavit, et apud flumen Metaurum Livio collegæ sese conjunxit: amboque[a] Hasdrubalem vicerunt.

Ex. V. Vol. I. P. 26.

Post hunc Julianus imperii[b] potitus est, Parthisque bellum intulit, cui expeditioni egomet interfui. Complura Persarum oppida expugnavit, aliaque in deditionem accepit. Victor rediens ab hoste occisus est, sexto die ante Kalendas Julii, et anno imperii septimo. Vir fuit eloquentiâ insignis[c], eique memoria erat tenacissima. Huic successit Jovianus[d], qui ab exercitu Imperator electus est[e].

Ex. VI. Vol. I. P. 33.

Tiberius Sempronius Gracchus, nobilissimo genere natus, Scipionem Asiaticum, quamvis inimicum, duci in carcerem noluit pati. Hic prætor Galliam domuit; primo consulatu Hispaniam,

---

[a] Hi ambo. *Vid. Gym. Vol.* I. *p.* 266.

[b] Imperio. *Cæs.* Imperium. *Tac.* (sæpe.) *Ter. Justin. Nepos.* (raro.)

[c] Ingenti facundia.

[d] Hunc excepit Jovianus.

[e] Creatus est.

altero Sardiniam subegit. Cum a populo capitis accusaretur[a], Sempronius eum morte indignum esse juravit; seque, si in exsilium missus foret, simul cum eo solum esse versurum[b]. Quare absolutus est.

Ex. VII. Vol. I. P. 35.

Bello inter Romanos et Albanos exorto, Hostilio et Fufetio ducibus, priusquam ad pugnam ventum est[c], placuit paucorum certamine rem finire. Erant forte apud Romanos fratres trigemini, nomine Horatii, itidemque apud Albanos trigemini, Curiatii appellati[d], ætate et viribus pares. Convenit igitur, ut hi de principatu contenderent, et populi utriuscunque victores fuissent[e], is alteri imperitaret.

Ex. VIII. Vol. I. P. 37.

Conflixerunt, multisque vulneribus utrin-

---

[a] Capite.

[b] Sese comitem esse daturum—Exsulatum abiturum.

[c] Prælio nondum inito.

[d] Erant forte in utrisque fratres trigemini, apud Romanos nomine Horatii, apud Albanos Curiatii.

[e] Et populi utriuscunque cives vicissent—is alteri imperitaret. Et ibi imperium foret, unde victoria esset—fuisset.

que illatis et acceptis, duo Romani corruerunt, et tres Albani graviter vulnerati sunt. Unus Horatius adhuc integer, sed Albanis universis impar, ut eorum vires segregaret, et singulos aggrederetur, fugam simulavit. Eum, prout vires eorum vulnerumque dolor sinebant[a], alius post alium, secuti sunt, et eos, uti advenerunt, singulos occidit[b]. Romanus ideo vicit, et hæ duæ civitates eodem nomine in unam consociatæ sunt.

Ex. IX. Vol. I. P. 41.

Curius Dentatus, Samnitibus domitis, in concione dixit, "Agri tantum cepi, ut solitudo futura fuerit[c], nisi tot homines cepissem; porro autem tot homines cepi, ut fame periissent, ni tantum agri cepissem." Agros militibus dispertivit viritim, dans dena quaterna jugera[d], totidemque sibi reservavit[e], dicens, ducem esse debere neminem, qui parte gregarii militis contentus esse nollet.

---

[a] Sinerent. *Vid. Tac. Hist.* 1. 62.

[b] Et eos, uti assecuti sunt, singulos interemit.

[c] Solitudo fuisset.

[d] Dispertivit, dena quaterna jugera tribuens, *sciz.* Romana, novenis Anglicis fere æqualia. Singulis dena quaterna. *Cic. Ep. Fam.* 10. 32. *Cæs. B. C.* 1. 17.

[e] Seposuit.

Ex. X. Vol. I. P. 47.

Nemo unquam mitior fuit Scipione Africano: veruntamen aliquid severitatis, ad firmandam militarem disciplinam, necessarium esse existimans, quodam tempore[a] in cives suos crudelis erat[b]. Carthagine enim devicta, et omnibus, qui ad Pœnos transierant, in ejus potestatem redactis, gravius in Romanos, quam in Latinos, transfugas animadvertit[c]. Illos tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit, hos uti socios perfidos securi percussit.

Ex. XI. Vol. I. P. 48.

Cum Porsena, Hetruscorum rex, Tarquinium Superbum in regnum restituere conaretur, et Janiculum primo impetu cepisset, Horatius Cocles, vir summæ virtutis[d], ad partem Sublicii pontis extremam[e] sese constituit, et solus, donec pons

---

[a] Una in re.—Quondam—aliquando. *Ang.* "Once." *indefinitè.* *Semel* significat "once," *i. e.* haud bis, vel ter, vel sæpius.

[b] Crudelem sese præbuit.

[c] Gravius de Romanis, quam de Pœnis, supplicium sumsit.

[d] Fortitudine eximius,—insignis.

[e] Ad extremum pontem constitit.

a tergo dirutus esset, totam vim hostium sustinuit. Deinde in Tiberim se misit, et ad suos transnatavit, vel casu, vel telis hostium illæsus.

Ex. XII. Vol. I. P. 50.

Græci, post victoriam, ad Hellespontum navigare, et pontem, ne rex effugeret, diruere statuerunt. Hoc iis dissuasit Themistocles, dicens, regem interceptum pugnam redintegraturum esse, et desperationem interdum perficere, quod virtus non possit. Simul eunuchum ad regem misit, eum certiorem faciens, pontem fore dirutum, ni cito effugisset [a]. Xerxes [b] itaque in fugam se contulit, et Themistocles sic victoriam Atheniensibus servavit.

Ex. XIII. Vol. I. P. 53.

Juvenis quidam Zenonis scholam diu frequentârat [c]. Ubi domum regressus est, pater, quid didicisset, ex eo quæsivit [d]. Juvenis modeste

---

[a] Eum admonens, ni celeriter effugisset, dirutum iri pontem.

[b] Corrige in Gym.

[c] Zenonem frequens audiverat. Zenonis frequens auditor fuerat.

[d] Ubi domum rediit, ... eum rogavit. Domum regressus, et a patre, quid didicisset, rogatus, juvenis, &c.

respondit, se id moribus suis esse ostensurum [a]. Pater graviter offensus erat, et eum verberavit. Filius omnino tranquillus manebat [b], dixitque, "Patris iram patienter ferre didici."

Ex. XIV. Vol. I. P. 56.

Augusto Cæsare imperante, delphinus, uti fertur, erga pauperis filium, qui eum panis fragmentis pascere solebat, amorem suscepit. Quotidie delphinus, a puero inclamatus, ad summam aquam natabat, et, e manu pastus, puerum e Baiano littore Puteolos ad ludum literarium [c] in tergo vehebat, et eodem modo referebat. Puero mortuo, delphinus aliquoties ad locum consuetum ventitans, et eum desiderans, item mortuus dolore esse dicitur.

Ex. XV. Vol. I. P. 62.

P. Scipio, ex Africa devicta cognominatus Africanus, Jovis filius fuisse creditur. Nam, priusquam conceptus est, serpens ingentis magnitudinis in lecto matris ejus apparuit; eumque

---

a Patefacturum. Declaraturum.

b Minime perturbatus, dixit.—Quietus permanens, "Paternam," inquit, "iram patienter tolerare didici."

c Scholam.

infantem draco amplexus, nihil læsit[a]. Expeditionem nullam suscepit, donec aliquandiu in Jovis cella sedisset, quasi divinam mentem acciperet. Natus annos duodeviginti patris vitam ad Ticinum servavit; et cum viginti et quatuor annos haberet, Prætor in Hispaniam missus, die ipso, quo venit[b], Carthaginem cepit.

Ex. XVI. Vol. I. P. 68.

Virginem eximiæ pulchritudinis, quam bello ceperat, in conspectum adduci vetuit; patrique ejus et sponso restitui[c] jussit. Hasdrubalem Magonemque, fratres Hannibalis, victos Italia expulit; et amicitiam cum Syphace Maurorum rege, conjunxit. Victor domum regressus, consul ante annos factus est; et in Africam missus Hannibalem superavit, qui ad patriam defendendam Carthaginem redire coactus erat. Repetundarum a Petillio falso accusatus, in volunta-

---

[a] Eique parvulo draco circumfusus nihil nocuit. (*Aur. Vict.*) Nihil mali intulit.

[b] Eodem, quo die venit.

[c] Reddi.—Nota, *Restituimus* volentem; *reddimus* volentibus. *Donat. in Ter. Eun.* 1. 2. 66.

rium exsilium concessit[a], ubi reliquam ætatem degit[b].

Ex. XVII. Vol. I. P. 71.

Xerxes ante navale prœlium, quo a Themistocle victus est, quatuor millia armatorum miserat, qui templum Apollinis diriperent[c], quasi bellum gereret, non solum cum Græcis, sed etiam cum Diis immortalibus. Hæc manus[d] imbribus et fulminibus tota deleta est. Historici ferunt, hoc factum esse, ut intelligeret, quàm nullæ essent hominum vires adversum Deos immortales. Impii haud secum reputant[e], contra Deos bellare esse sibi exitium petere[f].

Ex. XVIII. Vol. I. P. 93.

Xenophon, Socratis discipulus, solenne sacrum faciebat[g], cum filium natu majorem ad

---

[a] Sponte sua in exsilium abiit.

[b] Reliquum vitæ peregit.

[c] Quatuor millia, ad templum Apollinis diripiendum, armatorum miserat.

[d] Quæ manus.

[e] Impiis haud succurrit. *Liv.* 2. 40.

[f] Parare—Comparare.

[g] Solenniter faciebat—Per ellipsin, Vid. *Cic. Ep. Att.* 1. 11.

Mantineam interfectum esse audivit. Veruntamen haud cessavit[a]; sed tantum coronam deposuit, et quonam modo cecidisset, quæsivit. Ubi filium, acie fortiter pro patria pugnantem, occubuisse intellexit, coronam capiti placide reposuit, Deos testatus, majorem e filii virtute voluptatem[b] capere, quam dolorem ex morte.

Ex. XIX. Vol. I. P. 98.

Marcus Aurelius, Imperator Romanus, in sapientiæ studium incumbebat[c], ideoque Sextum philosophum audiebat. E regia, quodam die, egredienti Lucius philosophus, qui Romam nuper advenerat, ei obviam factus est[d], et quonam iret, et ad quod negotium[e], rogavit. Marcus respondit, "Seni etiam discere decorum est; et Sextum adeo, ut sciam, quæ nondum scio." Lucius, manibus ad cœlum sublatis, exclamavit:

---

[a] Abstitit.

[b] Plus voluptatis . . . . quam doloris ex morte sentire. Sibi majorem ex virtute filii voluptatem esse, quam dolorem ex morte. Quam ex obitu molestiam capere. *Cic.* Voluptate majore filii ex virtute, quam e morte, dolore esse affectum.

[c] Studio incumbebat. *Script. Arg. Æt.*

[d] Ei obviam factus, quonam iret . . . . quæsivit.

[e] Quo consilio—quam ob causam—ad quid negotii.

"O Jupiter, Imperator Romanus jam senior petit scholam, quemadmodum puer."

Ex. XX. Vol. I. P. 103.

Quum Plato ad ludos Olympicos venisset, omnium in Græcia conventuum frequentissimum, cum ignotis hominibus, iis et ipse ignotus, contubernium iniit. Dum Olympiæ manebat, morum suavitate, sermonibusque ab omni sapientiæ affectatione alienis, ita sibi devinxit, ut talis viri convictu plurimum gauderent. Academiæ tamen aut Socratis nullam mentionem fecit[a]; solum iis dixit, se Platonem appellari[b].

Ex. XXI. Vol. I. P. 106.

Ludis peractis, cum Athenas venissent, Plato eos perhumaniter excepit. Vehementer cupientes philosophum videre, "Monstra nobis," inquiunt, "tibi cognominem Socratis discipulum, cujus tanta ubique fama est. Duc nos in Academiam." Ille, leniter subridens, quemadmodum solebat[c], iis dixit, "Ego sum ille." Obstupuere

---

[a] Haud meminit.

[b] Se nomine esse Platonem. Sibi nomen esse Platoni.

[c] More suo—De *vel* ex more suo. Leniter subridens, sicut ei mos erat.

hospites, ubi intellexerunt, se tamdiu Platonis socios fuisse, eum ignorantes.

Ex. XXII. Vol. I. P. 110.

Dion, Syracusis a Dionysio tyranno expulsus, Megaram petiit. Ibi, cum Theodorum urbis principem convenire vellet, atque ad ejus domum idcirco pervenisset, diu ad portam retentus, et denique introire prohibitus, comiti suo placide, "Hoc," inquit, "patienter ferendum est; forsitan et nos, cum in magistratu essemus, interdum talia fecimus." Hac animi tranquillitate conditionem exsilii multo magis tolerabilem reddidit.

Ex. XXIII. Vol. I. P. 112.

Aristides apud Athenienses, et Epaminondas apud Thebanos, veritatis adeo amantes fuisse feruntur, ut ne joco quidem unquam mentirentur. Atticus etiam, quîcum Cicero conjunctissimè vixit, mendacium neque dicebat, neque pati poterat. "Illum odi,"[a] aiebat Achilles, "æque ac Plutonis portas, qui aliud dicit, et aliud cogitat." "Mendaces," inquiebat Aristoteles, "hoc

---

[a] Ille mihi est in odio, æque ac Plutonis portæ. *Cic.*

consequuntur, ut vera dicentibus iis non credatur."[a] Simplicitas sinceritasque hominis naturæ maxime conveniunt[b].

Ex. XXIV. Vol. I. P. 114.

Ptolemæus, Demetrio victo, majorem ex moderatione quàm ex victoria, gloriam sibi comparavit[c]; amicos enim Demetrii, non solum cum suis rebus, verum etiam cum donis pretiosis[d], dimisit; non prædæ causâ bellum incepisse dicens. Haud multo post, Ptolemæus, cum Demetrio iterum congressus, ipse victus est, et classe amissa in Ægyptum fugit. Demetrius, quo gratiam referret[e], ejus filium, fratrem, omnesque amicos, simul cum bonis, ei remisit.

Ex. XXV. Vol. I. P. 117.

Cum Augustus Cæsar apud Vedium Pollionem cœnaret, unus ex hujus servis vas crystallinum fregit. Vedius extemplo eum necari jussit; nec morte vulgari erat periturus; nam in

---

[a] Non habeatur fides.

[b] Quod simplex sincerumque est, id naturæ hominis est aptissimum. *Cic.*

[c] Peperit—Consecutus est.

[d] Etiam muneribus pretiosis additis.

[e] Ut beneficium rependeret.

piscinam murænarum plenam eum conjici jussit. Puer territus Cæsaris ad pedes confugit. Imperator, crudeli Pollionis jussu commotus, puerum liberari, crystallina vasa omnia frangi, et piscinam compleri jussit. "Quid," inquit, "quia tuum vas fractum est, ideone viscera hominis dilacerabuntur?"[a]

Ex. XXVI. Vol. I. P. 119.

Cum Pyrrhus, Epiri rex, Romanis bellum intulisset, et a Romano exercitu paucis tantum millibus passuum abesset, medicus Pyrrhi noctu in Fabricii castra pervenit, se regem veneno sublaturum esse pollicens, si pro operæ magnitudine sibi præmium daretur[b]. Fabricius illico ad Pyrrhum eum reducendum curavit, dicens, turpe esse veneno, et non armis, cum hoste contendere. Quare rex dixisse fertur, "Sol facilius a cursu, quàm Fabricius ab honestate, averti[c] potest."

Ex. XXVII. Vol. I. P. 127.

Pisistratus tyrannus, in principatu Athe-

---

[a] Dilacerentur?—*Vid. Gym.* I. 26. *et* II. 339. Discerpantur? Dilaniabuntur? Distrahantur?

[b] Datum esset, *eleganter*.

[c] Deduci. *Cic.* Demoveri. *Cic.*

niensi, quem injuste occupaverat, summa æquitate se gessit: et præterquam quod [a] dominandi studiosus erat, nullus eo melior civis fuit. Si quos videret otiosos in foro obambulantes, ad se accitos interrogabat, cur otiosi essent. Si respondissent, sibi esse nec jumenta, nec frumenta, dedit, et eos ad operam sese conferre [b] jubebat. Cum in publicum prodiret, comitabantur eum duo aut tres pueri, qui pecuniam egenis dandam [c] ferebant.

Ex. XXVIII. Vol. I. P. 133.

Gillias Agrigentinus, vir animo quàm divitiis locupletior, semper in eroganda, potius quàm contrahenda, pecunia erat occupatus. Ædificia in usus publicos exstruebat, spectacula populo edebat, pauperibus alimenta suppeditabat, virginibus dotes præbebat, hospites benignissimè excipiebat; et quodam tempore quingentos equites, tempestate in littus prope suam domum compulsos, aluit et vestivit. Denique, quicquid Gillias possidebat, pro patrimonio omnium communi habere videbatur.

---

[a] Nisi quod. [b] Convertere.
[c] Tribuendam. Donandam.

Ex. XXIX. Vol. I. P. 138.

Antisthenes philosophus discipulos suos, ut diligenter in studia incumberent [a], hortari solebat: pauci autem obtemperabant. Tandem iratus omnes dimisit. Diogenes, tamen, unus ex iis, magna philosophum audiendi cupiditate accensus [b], ad scholam ventitabat, et ei pertinaciter adhærebat. Antisthenes se baculo, quem gestare solitus erat, ei caput diminuturum minatus est: et, ubi his minis eum non territum esse vidit [c], quodam die revera verberavit.

Ex. XXX. Vol. I. P. 142.

Diogenes tamen haud recessit. "Percute," inquit, "si tibi placet [d]; nullum vero baculum tam durum invenies, qui [e] me a schola tua abigat. Te diligo, teque audire cupio. Quidvis doctrinæ causa ut patiar, in animum induxi." [f] Antisthenes, scientiæ studiosissimum esse videns, rursus

---

[a] Ut in studiis curam operamque ponerent. Ad studiis operam dandam.

[b] Magno philosophum audiendi studio incensus—ardens.

[c] Animadvertit. [d] Si vis. [e] Ut abigat.

[f] Scientiæ causâ, nihil non ut patiar. Disciplinæ causa, quidvis pati in animum induxi. *Cic. pro Cluent. cap.* 15.

admisit, et eum magno amore complectebatur [a]. "Natura," inquit Tullius, "insatiabilem verum quærendi cupiditatem homini ingeneravit, quo sapientior meliorque evadat."

Ex. XXXI. Vol. I. P. 147.

Themistocles, Persis navali prælio victis, in concione Athenis dixit, sibi in animo esse consilium, quod reipublicæ salutare foret, sed divulgari non oportere [b]. Postulavit itaque, ut aliquis sibi daretur, quîcum communicaret, et Aristides ad eam rem nominatus est [c]. Ille tunc Aristidem monuit, classem Lacedæmoniorum, quæ ad Gytheum portum subducta esset [d], clam incendi, adeoque opes Lacedæmoniorum frangi, posse.

Ex. XXXII. Vol. I. P. 151.

Aristides, hoc audito, ad concionem rediit, et civibus suis dixit, perutile quidem esse con-

---

[a] Maxime amabat.

[b] Consilium reipublicæ salutare, haud autem vulgandum.

[c] Dictus est.

[d] Cicero scribit *subducta esset*, V. Maximus *subducta erat*. Dictum prius fuit Themistoclis; posterius est historici. Illud idem valet, ac locutio, *quam subductam esse dixit*; per hoc autem a scriptore deductio narratur. *Vid. Gym. Vol.* II. *p.* 4.

silium Themistoclis, sed nequaquam honestum. Athenienses, quod honestum non esset, id non utile judicantes, consilium, quod ne audierant quidem, Aristide auctore, repudiârunt. Ad justitiam nati sumus; nec opinione, sed natura, constitutum est jus. Cicero docet, justitiam reginam esse virtutum. Maneat ergo apud nos, quod turpe sit, id nunquam esse utile.

Ex. XXXIII. Vol. I. P. 154.

Anaxagoras Clazomenius, non modo generis nobilitate opibusque clarus fuit, verum etiam magnitudine animi. Hic, ut philosophiæ totum sese traderet, suis patrimonium concessit, et Athenas, doctrinarum tunc temporis [a] cultrices, petiit [b]. Ibi Pericles ei operam dedit, vir animi excelsi, raræ eloquentiæ, et in pauperes liberalissimus. Accidit tamen, ut, negotiis publicis implicitus, Pericles Anaxagoram præceptorem negligere videretur.

Ex. XXXIV. Vol. I. P. 156.

Senex, hoc sentiens, in lectum se recepit [c], et, capite obvoluto, inediâ vitam finire statuit. Pe-

---

[a] Ea tempestate. [b] Se contulit. [c] Cubitum ivit.

ricles, hac re audita, ad magistrum advolavit, cum lacrimis orans, ut viveret, et illam sapientiam eamque lucem, quæ sibi tantum profuissent, conservaret. Anaxagoras, capite retecto, placide dixit, "Ii, quibus lucerna opus est, oleum infundunt." [a] Exinde Pericles Anaxagoram magnopere colebat, nec quidem multo post vitam ejus servavit.

Ex. XXXV. Vol. I. P. 158.

Marcia, Catonis filia, cum maritum mortuum lugeret, quisnam futurus esset ultimus doloris dies interrogata, respondit, sibi fore eundem luctûs finem et vitæ [b]. Necnon Valeria, Messalarum soror, rogata [c], cur, marito Servio mortuo, nemini vellet nubere, respondit "Mihi semper vivit maritus Servius." Phocionis uxor cuidam dixit mulieri omnes gemmas ostentanti, "Mihi maximum ornamentum est Phocion [d], pauper quidem, sed jam viginti annos dux Atheniensium."

---

[a] Instillant. Oleo alunt (forsan). *Vid. Tac. Dial. de Orat. cap.* 36, ubi invenire est *Flammam alere.*

[b] Eundem diem vitæ et luctui finem daturum—Ultimum doloris ultimum etiam vitæ futurum diem.

[c] Quærenti.

[d] Mihi summo decori est Phocion. Me quod præcipuè ornat, est Phocion.

Ex. XXXVI. Vol. I. P. 161.

Cum rex Porsena Romam obsideret, urbemque se brevi tempore expugnaturum existimaret, C. Mucius, animi audacis adolescens [a], hostium castra intrare, regemque occidere statuit. Metuens autem ne, si consulum injussu iret, pro transfuga haberetur, senatum adiit, et hæc verba fecit [b]. "Patres, Tiberim transire volo, et, si possim, hostium castra inire; attamen haud prædo, sed patriæ liberator. Præda non mihi est in animo; si Dii juvant [c], majora mente agito."

Ex. XXXVII. Vol. I. P. 162.

Patres consilium approbant; adeoque, gladio [d] sub veste abdito, proficiscitur. Castra hostium ingressus, in confertissima turba prope regium tribunal constitit [e]. Stipendium forte tum militibus dabatur, atque id accepturi [f] scribam, regi assidentem, et pariter fere ornatum, adibant. Timens sciscitari, uter esset rex, ne se Romanum esse aperiret, scribam pro Porsena obtruncavit.

---

[a] Audax animo adolescens. [b] Ita locutus est.
[c] Diis adjuvantibus. [d] Ferro.
[e] Sese constituit. [f] Qui accepturi.—Ut acciperent.

Ex. XXXVIII. Vol. I. P. 167.

Cum per mediam turbam mucrone cruento viam sibi faceret, a regiis satellitibus comprehensus, ad tribunal adductus est. Nihil metuens, "Romanus sum," inquit, "civis; C. Mucium vocant[a]. Hostis hostem occidere volui: nec minus paratus est animus ad mortem ferendam, quam ad te fuit interficiendum. Facere et fortia pati, Romanum est. Trecenti juvenes in te conjuravimus; teipsum igitur accingere oportet."

Ex. XXXIX. Vol. I. P. 171.

Cum rex, ira incensus territusque, eum cremari juberet, ni propere Romanorum juvenum insidias patefaceret[b], Mucius in foculum manum injecit, et, "Vide," inquit, "quàm vile sit corpus iis, qui gloriam spectant." Cum manum nullo, ut videbatur, doloris sensu in igne teneret, rex, fortitudine ejus attonitus, a sede prosiluit, eumque dimitti jussit. Postridie legatos, qui conditiones pacis offerrent[c], Romam misit.

---

[a] Nomen C. Mucius. Caio Mucio mihi est nomen.

[b] Patefecisset.

[c] Oblatum—Ad offerendum—Ad offerendas—Oblaturos. *Vid. Gym.* I. 69.

Ex. XL. Vol. I. P. 176.

Alcibiades, adhuc puer, quodam die Periclem avunculum suum adiit; eumque, secreto sedentem, et altius cogitantem tristemque, invenit[a]. Puer causam quæsivit. "Propylæa Minervæ," respondit ille, "mandato civitatis ædificavi, consumptâque in id opus ingenti pecuniâ, nescio[b] quo pacto rationem reddam. "Excogita potius," inquit promptissimè Alcibiades, "quomodo non reddas."[c] Itaque hic sagax præclarusque vir pueri consilio usus est[d], et ita egit, ut Athenienses, finitimo bello implicati, rationibus exigendis non vacarent[e].

Ex. XLI. Vol. I. P. 177.

Romanis contra Latinos et Tusculanos bellum

---

[a] Offendit. [b] Haud invenio.

[c] Quomodo reddere devites. (*Sen.*) Reddere non sit necesse.

[d] Paruit—Pueri de sententia egit.

[e] Ut Atheniensibus, finitimo bello implicatis, ad rationes exigendas haud vacaret. Otium—tempus vacuum—deesset. Nihil temporis vacaret. (Vid. Facciol. in *Vaco*, qui censet, *Vacare rei*, non esse, ut complures opinantur, *Operam dare*, sed *Tempus vacuum ad faciendum habere*.) Hanc propriam esse significationem haud dubium est; illa autem per Metonymiam sæpe concluditur.

gerentibus[a], consules T. M. Torquatus et P. Decius edixerunt, nequis cum hoste injussu suo pugnaret. Forte inter cæteros turmarum præfectos, qui in diversas partes missi erant, ut, quo in loco hostes essent, explorarent, T. Manlius, consulis filius, prope stationem Tusculanorum equitum accessit, quibus præerat Mutius, vir genere factisque clarus. Hic ubi Romanos equites conspexit, et ante eos incedentem[b] consulis filium, extemplo adequitavit, et Manlium ad singulare certamen provocavit.

Ex. XLII. Vol. I. P. 180.

Hac provocatione motus est adolescentis animus[c], et patris imperium oblitus, ad certamen irruit. Primo impetu Tusculanum equo dejecit, et cor transfixit. Inde cum spoliis hostis ad patrem rediit. "Provocatus," inquit, "a Tusculano interfeci, et tibi spolia attuli." Pater milites convocari jussit, quibus audientibus, filium ita compellavit[d]: "Tite Manli, consulare imperium

---

[a] Cum Romani gererent. Dum Romani gerebant.

[b] Et præcedentem consulis filium.

[c] Juveni motus est animus.

[d] His verbis allocutus est.

contempsisti, contra edictum pugnasti: si tuum exemplum sequerentur alii[a], de Romano imperio actum foret. Itaque, ne respublica ex tuo facto quid capiat detrimenti, peccatum capite te luere oportet." Egregius igitur adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit[b].

Ex. XLIII. Vol. I. P. 186.

Porcia, Catonis filia, ubi Brutum maritum ad Philippos victum et interemptum esse audivit[c], ferrum, quo seipsam occideret[d], poposcit. Hoc non dato, ardentes carbones sustulit, et hausit[e]. Antehac quidem ad mortis dolorem fortiter ferendum sese erudiverat. Pridie quàm Cæsar a conjuratis necatus est, novaculam, quasi ad ungues resecandos, poposcit; eâque, postquam

---

[a] Cujus exemplum si caperent.—Cujus exemplo si uterentur.

[b] Ob immoderatam virtutem.

[c] Porcia . . . . Brutum interemptum esse cognito. (Abl. Abs. *It being known*, or *when it was known.*)

[d] Ad mortem sibi inferendum—*elegantius autem,* inferendam. Gladium, quo mortem sibi inferret—sibi mortem conscisceret—*elegantissimè.*

[e] Ardentes carbones sublatos hausit.

accepit[a], tanquam manu elapsâ, sese graviter vulneravit[b].

Ex. XLIV. Vol. I. P. 190.

Ancillæ confestim clamorem sustulerunt, et Brutus, ad causam quærendam[c], cubiculum intravit. Ubi eam, quòd tonsoris officium obiisset[d], objurgare cœpit, "Haud," inquit illa, "casu, sed de industria, hocce vulnus mihi intuli; mei in te amoris certum est indicium; nam experiri volui, an satis mihi ad mortem ferendam esset animi, si tibi generosum propositum ex sententia haud cessisset." Brutus eam amanter complexus, et manibus ad cœlum sublatis, ardenter[e] precatus est, ut Dii conjuge tam eximiâ sese dignum redderent.

Ex. XLV. Vol. I. P. 194.

Ægrotabat Cæcinna Pætus, Arriæ maritus; ægrotabat item filius, uterque adeo, ut vita

---

[a] Eâque acceptâ, quasi manu elapsa esset.

[b] Grave vulnus sibi intulit.

[c] Causam quæsiturus.—Causam ut quæreret.—Causam quæsitum.

[d] Præripuisset. *V. Max.* (*Præripere* significat Anglice, "To preoccupy." "To forestal.")

[e] Toto pectore.

desperaretur[a]. Filius decessit, eximiâ pulchritudine adolescens, magnâ verecundiâ, et parentibus carissimus. Arria huic funus paravit, et ita duxit, ut maritus omnino ignoraret. Quinimo, quoties[b] cubiculum ejus ingrediebatur, filium vivere, atque melius sese habere, simulabat. Rogitanti, quid puer ageret, respondebat, "Bene quievit, et libenter cibum sumpsit." Denique, cum lacrimæ, diu cohibitæ[c], vicissent, prorumperentque, in cubiculum recessit, et seipsam dolori dedit.

Ex. XLVI. Vol. I. P. 196.

Lacrimis satiata, ad maritum vultu composito rediit, et dolorem ejus, ob filium amissum, lenire conata est. Scriboniano, qui Claudio bellum intulerat, occiso, Pætus, qui ejus partes secutus erat[d], ipse Romam trahebatur. Cum esset navem conscensurus, Arria milites oravit, ut una cum eo imponeretur. "Estis," inquit, "ei fa-

---

[a] De vitâ desperaretur. Vitâ desperaretur. *Vid. Cic. Orat. in Pis. sub finem.* Raro autem hæc locutio occurrit.

[b] Quoties cubiculum intraret. (*Plin.*) *Rarius autem in hoc sensu particula subjunctivo jungitur.*

[c] Repressæ.

[d] Qui cum eo steterat.—Ab eo steterat.

mulos suppeditaturi, quorum e manibus cibum capiat, qui vestes ei induant, et a quibus exuatur. Hæc omnia ego [a] ipsa præstabo." Haud tamen impetravit.

Ex. XLVII. Vol. I. P. 199.

Arria igitur naviculam piscatoriam conduxit, et navem secuta est [b]. Cum Romam pervenisset, et, mariti salute desperata, in mortem esset intenta [c], a suis diligentissime custodiebatur. Hoc sentiens, "Nihil," inquit, "agitis [d]; potestis enim efficere, ut male moriar; ne moriar, haud potestis." Simulque e cathedra exsiliens, caput ingente impetu parieti impegit, et corruit. Sopita paulisper, ubi ad se rediit [e], "Vobis," inquit, "dixi me duram mortem inventuram, si mihi facilem negâssetis."

Ex. XLVIII. Vol. I. P. 203.

Pæto interfecto, si marito superesse Arria

---

[a] Egomet. [b] Naviculâ conductâ, secuta est.

[c] Tacitus scribit "Certus degere." "Determined to live." "Certus desciscendi." *Ann.* 12. 66. "Sceleris certa." *Hist.* 4. 14. In mortem destinata. *Hirt. B. A.* cap. 88. Hæ locutiones parum imitandæ.

[d] Operam luditis--perditis.

[e] "Vobis, inquit focillata." *Plin.*

voluisset [a], ei vivere licitum foret, quia Messalinæ Claudii uxori amicitiâ erat conjunctissima; atqui cum marito interire [b] maluit. Quinimo, ut eum ad mortem virili animo oppetendam excitaret, ipsa prior [c] in pectore suo gladium defixit [d], inde vulnere extractum ei porrexit, dicens, "Pæte, non dolet." Amor conjugalis ad dolores vitæ humanæ leniendos, et ejus labores allevandos, a natura constitutus est. Res adversas minuit; atque secundas auget. Voluptates domesticæ omnibus aliis sunt potiores.

Ex. XLIX. Vol. I. P. 209.

Cum Solon, quodam die, unum ex amicis tristissimum videret [e], in arcem perduxit, et domos oculis subjectas contemplari jussit. Postquam ita fecisse animadvertit [f], "Cogita nunc tecum," inquit, "quot dolores sub his tectis fuerint, nunc

---

[a] Arriæ si placuisset.

[b] Mortem obire.

[c] In *Select. e Profanis* legitur "ipsa prior;" i. e. "prior Pæto;" sed ex contextu narrationis Anglicæ, forsan potius reddatur "ipsa prius." *Vid. Gymn.* II. 78.

[d] In pectus suum. Pectori. *Liv.* I. 25.

[e] Solon unum ex amicis mœstissimum videns.

[f] Quod ut factum animadvertit.

versentur[a], et posthac sint futuri; ac mala, omnibus communia, quasi tibi propria lugere desinas." Solon aiebat, si omnia hominum mala in unum locum essent collata[b], fore, ut quisque, mole explorata, sua quàm aliena ferre mallet.

Ex. L. Vol. I. P. 214.

Sub idem tempus[c] casus multo gravior Priamo evenit regi Trojano. Helenam, Menelai regis Spartani uxorem, a filio Paride, seu Alexandro, abreptam, reddere nolens, regno post decennii obsidionem orbatus est, simulque vitam amisit. Troja eversa est quadringentesimo trigesimo sexto anno ante Romam conditam, et mille centum et octoginta quatuor annis ante Christum natum. Æneas, Trojanus pietate insignis, cui Græci pepercerant, patriâ relictâ, post varios terra marique casus, in Italiam pervenit, et Latino, cujus filiam duxerat, Latinorum regi successit.

Ex. LI. Vol. I. P. 221.

Crœso, Lydorum regi, filius fuit, eximiæ pulchritudinis, ingenioque præstans, attamen na-

---

[a] Existant. Sint. [b] Congesta. Comportata.
[c] Eodem fere tempore.

turâ mutus. Ad emendandum hoc vitium cuncta expertus erat pater; omnes autem medicorum artes nihil profecerant[a]. Cum exercitus Persarum Sardes expugnasset, milesque, in Crœsum gladio destricto irruens, eum esset occisurus, regem esse ignorans, patris vitæ timens adolescens summopere et repente vocem mittere[b] nisus est, et, linguæ vinculo rupto, exclamavit, "patrem Crœsum ne occidas."

Ex. LII. Vol. I. P. 232.

Cervus, altero oculo captus, in littore pascebatur. Quo certius saluti suæ prospiceret, e mari nihil periculi timens, oculum integrum semper in terram vertebat. Forte prætervehebatur navis, unde nautæ eum conspicati sunt; et quidam ex iis sagittam in eum collineavit[c], vitamque eripuit. Se lethali vulnere affectum esse sentiens, "Heu me miserum!" exclamavit, "quantum erravi; quantopere spem fefellit casus? Terram, unde nil mali accidit, metuebam; et mari confisus sum, unde mors me oppressit." Fabula monet, quæ utilia esse existimemus[d], ea sæpenumero cladem luctumque nobis afferre.

---

[a] Profuerant. [b] Ut vocem mitteret.

[c] Sagittâ in eum directâ, interemit—vitâ privavit.

[d] Videantur.

Ex. LIII. Vol. I. P. 236.

Pomponius Atticus, paulo ante mortem, tres ex amicis arcessivit, et cubito innixus eos ita allocutus est. "Quantam curam diligentiamque[a] in valetudine mea tuenda adhibuerim, me vobis pluribus verbis commemorare nihil necesse est[b]: omnes enim scitis me nullam rem, quæ ad sanandum pertineret, omisisse[c]; nunc restat ut mihi consulam. Stat mihi sententia[d] haud diutius morbum alere[e]; quicquid enim cibi intra complures hos dies sumpsi, ita produxi vitam, ut dolores auxerim sine spe salutis : nec quicquam me ad sanitatem jam restituere potest." Decessit pridie Kalendarum Aprilis, Cn. Domitio, et C. Sosio consulibus.

Ex. LIV. Vol. I. P. 238.

Senex Atheniensis, inter ludos Olympicos, de palma certationem[f] videre cupiebat: nulla autem

---

[a] Quantum curæ, diligentiæque in valetudinem contulerim. *Cic. Ep. Fam.* 16. 4.

[b] Supervacaneum est. Nihil opus est.

[c] Prætermisisse. [d] Mihi certum est.

[e] Alere morbum desinere. (*Nepos.*)

[f] Palmæ contentionem. (*Quintil.*)

sede vacua, risui et ludibrio fuit; namque loco in locum abiit, nec quisquam ei sedem concedere[a] volebat. Sed, cum ad Lacedæmonios venisset, non solum omnes adolescentes ei assurrexerunt, sed etiam complures adulti loco cessere. Quod cum Athenienses cæterique Græci vidissent, et civibus suis, quòd ita semet gessissent, vehementer applauderent[b], senex canos capillos concutiens, lacrimansque[c] dixit, "Heu, quàm dolendum est, omnes Græcos, quid rectum sit, scire, sed Lacedæmonios solos facere!"

Ex. LV. Vol. I. P. 244.

Epaminondas, non solum apud Thebanos, sed etiam apud omnes suæ ætatis Græcos, sine controversia princeps extitit. Antequam Thebani eo duce usi sunt, nihil memorabile gesserant; et,

---

[a] Sessum recipere. *Cic. V. Max.* *Supinum in* um. Huc illuc—aliò aliunde itavit, nec quisquam ei locum—ei loco—cedere volebat. *Cic. Att.* 13. 40. Sede concedere voluit. *Tac. Ann.* 15. 2. *Parum usitatè.* Alium ex alio locum petiit, nemo autem in subsellia recipere voluit.

[b] Multiplices plausus darent. *Cic.*

[c] Lacrimasque effundens.

eo mortuo[a], cladibus tantum, quas passi sunt, insignes fuerunt. Quàm fortiter et quàm libenter vitam pro patria profuderit, hæ res satis testantur. Cum Mantineam, Arcadiæ urbem, exercitu instructo, oppugnaturus esset, Lacedæmonii, in ejus perniciem intenti, eum unum adorti sunt, nec prius abstiterunt, quàm eum cadere vidissent.

Ex. LVI. Vol. I. P. 245.

Cum ad castra eum detulissent sui, aliquandiu omni sensu carebat[b]; animo autem redeunte, se vulnus mortiferum accepisse sentiens, ex astantibus quæsivit, num clypeus salvus esset. Quum flentes hoc ei confirmassent[c], sibi eum afferri[d] jussit. Clypeus itaque allatus est, eumque uti laborum gloriæque socium est osculatus. Inde, an victi essent hostes, quæsivit. "Imo," respondentibus, "Jam," inquit, "satis diu vixi; morior enim invictus." Tum hastam e vulnere extrahi jussit, et confestim animam efflavit.

---

[a] Post ejus mortem. Postquam vitâ discessit.

[b] Sine sensu manebat—erat. (*Cic.*)

[c] "Iis hanc rem cum fletu confirmantibus." *Ejus salutem* confirmantibus. *Plaut.*

[d] Eum velle videre dixit. "Eum," inquit, "videre velim." "I should wish"—Volo "I wish."

Ex. LVII. Vol. I. P. 248.

Vulpes esuriens panem et carnem, quæ a pastoribus in cava arbore relicta erant, conspicata [a], ingressa est et devoravit; ventre autem tumefacto, quum egredi non posset, gemere, et conditionem suam lugere [b], incepit. Vulpes altera, quæ forte præteribat, gemitus ejus audiens [c], accessit, causamque ex ea quæsivit. Quod acciderat edocta [d], "Illic," inquit, "tibi manere necesse est [e], donec talis fueris, qualis ingressa es." Fabula monet die difficilia amoveri.

Ex. LVIII. Vol. I. P. 250.

Senex ligna in silvâ cæsa domum portabat. Multum viæ progressus fatigatusque ligna de-

---

[a] Panem et carnem a pastoribus relicta conspiciens.

[b] Lamentari—deflere—deplorare—cœpit.

[c] Excipiens.

[d] Quid accidisset, ubi rescivit. *Cic. Ep. ad Frat.* 2. 1. *Auct. ad Heren.* 1. 11. De eo, quod acciderat, certior facta. *Cic. Att.* 8. 15.

[e] Tibi manendum est. Ut maneas necesse est. (*Rarius autem invenitur* necesse *cum conjunctione* ut, *sive expressâ, seu subauditâ.*) "Oratio aut nulla sit, necesse est." *Cic.* "Necesse est, huic ut subveniat." (*Ter.*)

posuit, et suæ conditionis mala senectutem, debilitatem, et inopiam, animo versari cœpit. Tandem vitæ pertæsus mortem, ad miseriis sese liberandum, invocavit[a]. Mors senis preces audivit, et protinus comparuit[b], simul quid vellet, interrogans. Senex, valde perterritus, respondit, "Ad nihil aliud te invocavi, nisi ut mihi onus allevares, et tergo imponeres." Fabula monet, in rebus etiam maximè adversis, omnes vitam morti præponere[c].

Ex. LIX. Vol. I. P. 253.

Mulierem sanguine illustrem[d] capite damna-

---

[a] Mortem, ut accederet, seque ærumnis liberaret, inclamavit—(*Alicui inclamare est Anglicè,* "To call aloud *to* any one;" *Aliquem inclamare,* "To call aloud *on,* or, *for* any one.")

[b] In conspectu stetit.—Coram aderat.

[c] Vitam morte malle. *Tac. Ann.* 12. 46. i. e. *Vitam velle magis morte.* (Formula rara.) Vitam morte potiorem habere.

[d] Præclaro genere ortam. Sanguinis præclari. Sanguine nobilem—generosam. (*Nobilis* et *generosus* inter se differunt. *Nobilis* est claritate generis; *generosus* virtute, et rerum gestarum gloria. *Nobilis* in bonam, vel in malam partem sumitur; *generosus* nonnisi in bonam.)

tam prætor in carcere necandam [a] Triumviro tradidit. Is, qui custodiæ præerat [b], misericordia motus, eam pro sententia [c] haud protinus strangulavit, sed fame perire malebat. Nihil igitur cibi ei præberi passus est; nec filiam, cui aditum permisit, carcerem intrare sinebat, donec eam diligenter excussisset. Postquam complures dies præterierunt, et adhuc ea vivebat [d], custos curiosius filiam observatam matris vitam suo lacte sustentare animadvertit. Quæ res ad judices perlata, filiæ, pro pietatis præmio eximiæ, remissionem pœnæ matri impetravit [e].

Ex. LX. Vol. I. P. 257.

Demetrius Poliorcetes urbem Megaram expugnârat. Ei Stilponem philosophum roganti [f],

---

[a] Nota—*Necare* propriè significat *mortem sine vulnere inferre*. Sæpe tamen generaliter usurpatur.

[b] Custos carceris.—Carceris præfectus.—Carceri præpositus.

[c] Ex decreto. Ex judicio.

[d] Compluribus diebus exactis, eâque adhuc vivente.

[e] Quâ re ad judices delatâ, filiæ pro pietatis præmio eximiæ mater est condonata.—Matris venia est concessa.

[f] Stilpo philosophus numquid amisisset, ab eo interrogatus, respondit.

numquid amisisset, "Nihil," respondit hic, "amisi; omnia enim bona mea adhuc mecum sunt." [a] Atqui patrimonium ejus fuerat direptum, filii abducti, et patria capta. Veruntamen affirmavit, se nihil damni cepisse; sibi enim adhuc esse veras opes, doctrinam et virtutem, quæ [b] hostis sibi adimere nequiret. "Quibus me spoliârunt milites," inquit philosophus, "ea pro meis nunquam habebam." Nemini id suum est dicendum [c], quod in fortuna sit positum; ipsius enim hodie, cras forsan sit alienum.

Ex. LXI. Vol. I. P. 259.

Alexander Magnus, Dario ad Issum victo, quosdam e suis misit, qui Darii matrem uxoremque captivas docerent [d], se venire ad eas invisendas. Paulo post nuncium missum, earum tabernaculum iniit, Hephæstione, qui regi par erat ætate, corporis autem habitu superior [e], comitante. Reginæ igitur captivæ Hephæstionem

---

[a] Mea adhuc mihi restant. [b] Quas.

[c] Quicquid est id, quod sit in fortuna situm, id nemini suum est dicendum. Neminem id suum dicere oportet —Nemo dicere debet—quod in fortuna sit positum.

[d] Darii matri uxorique nunciarent.

[e] Præstabat.

regem esse putantes [a] more Persarum veneratæ sunt. Darii mater, de errore monita [b], sese Alexandro ad pedes projecit [c], veniamque oravit. Rex, eam manu allevans, comiter respondit, "Nihil errâsti, nam hic etiam est Alexander."

Ex. LXII. Vol. I. P. 264.

Rhacoces, genere Mardus, septem habebat filios, quorum minimus natu Cartomes, adolescens ultra annos audax, quotidie fratribus suis aliquid mali inferebat. Cum pater eum sæpenumero, sed necquicquam, admonuisset, judices, qui jussu regis Persarum provincias, ad jus dicendum, peragrare soliti erant, forte in eam regionis partem venerunt [d], quam Rhacoces incolebat. Adventu eorum cognito [e], filium comprehendit, manibusque post tergum revinctis, ad judices traxit, et contumaciæ ut capite pœnas persolveret, postulavit. Judices, hac inusitata postulatione ob-

---

[a] Ratæ. (*Curtius.*) [b] Erroris admonita. *V. Max.*

[c] Advoluta est pedibus Alexandri. (*Curtius.*) Provoluta ad pedes. (*Id.*)

[d] Accidit ut judices . . . . venirent.

[e] Eos advenisse audito. De adventu eorum certior factus. Ubi eos advenisse audivit—intellexit. Adventum eorum—eos advenisse, edoctus.

stupefacti, sententia ferenda abstinuerunt[a] sed ambos ad regem Artaxerxem deduxerunt.

Ex. LXIII. Vol. I. P. 271.

Ubi coram rege Rhacoces aderat[b], ut filius capite plecteretur rogavit. "Tune ergo," inquit rex, "filium morientem spectare sustinebis?" "Imo," respondit ille, "cùm amaros lactucarum surculos amputo, mater eorum nihil injuriæ patitur; e contrario autem magis efflorescit: ita, cùm hoc filio meo liberatus ero, res sese eo melius habebunt, atque vivam quietus. Artaxerxes eum laudibus extulit[c], et inter judices sedere jussit; dicens, qui tam justè de filio sententiam tulisset, eum haud dubiè fore æquum in aliis judicem. Rex simul filium aptè admonitum dimisit.

Ex. LXIV. Vol. I. P. 277.

Cum Pyrrhus, Epiri rex, e Sicilia rediens Locros præterveheretur, ædem Proserpinæ spoliavit; et, pecuniâ in naves asportatâ, ipse terrâ

---

[a] Ferre abstinuerunt. (*Sueton. Plaut.*) Haud sententiam pronunciârunt. Sententiâ haud dictâ, ad regem Artaxerxem deduxerunt.

[b] Rhacoces, uti regis in conspectu stetit.

[c] Eum collaudavit.

profectus est. Quid evenit? Classis, proximo die, fœdâ tempestate lacerata est; omnesque naves, quibus sacra pecunia inerat[a], in littus Locrorum ejectæ sunt. Hac clade Deum esse edoctus, omnem pecuniam conquiri[b], et in templum referri, jussit. Posthac nihil unquam huic prospere cessit[c]. Italiâ expulsus est, et ignobili morte periit[d], ab anu paupercula, cum urbem Argos aggrederetur, interfectus.

Ex. LXV. Vol. I. P. 278.

Erat Cleanthi valde obtusum tardumque ingenium, etiamque summa rerum inopia[e]. Cùm vero sapientiæ amor ejus animum occupâsset[f], studio et diligentia tarditatem ingenii vicit, Zenoni interdiu operam dans[g], et noctu, aquam e puteo in

---

[a] Quæ sacram pecuniam habuerunt. (*Liv.*)

[b] Omnem pecuniam conquisitam in templum referri jussit. (*Liv.*)

[c] Evenit.—Cecidit.—Successit.

[d] Inhonesta morte occubuit. (*Liv.*)

[e] Cleanthes erat valde obtuso tardoque ingenio; porro autem—tum præterea—egestate premebatur. (*Inopia* est causa, *egestas* effectus. "Propter inopiam in egestate estis." *Cic.*)

[f] Ubi vero . . . . . . in animum ejus invaserat. *Sall. B. J. cap.* 32.

[g] Interdiu Zenonem audiens.

hortulani usum hauriendo [a], aliquantulum pecuniæ merens. Fertur, aliquando ad judices esse vocatum, quòd, etsi robusto corpore, nullam artem, qua victum quæreret, facere videretur. At ubi hortulanum, cui aquam hauriebat, quæstus sui testem adduxit, non solum dimissus est, sed etiam decem minis donatus, quas autem accipere noluit.

Ex. LXVI. Vol. I. P. 279.

Socrates philosophus, inter antiquos celeberrimus, dicere solebat, nihil a Diis esse petendum, nisi ut, quæ profutura essent, ea nobis tribuerent: sæpe enim nos votis expetere, quæ melius foret haud impetrare. A juvene quodam consultus, num uxorem ducere, an matrimonio abstinere [b], oporteret, respondit, utrumcunque fecisset, fore ut eum pœniteret [c]. Cum Athenienses diram de capite sententiam tulissent, venenum e carnificis manu firmo animo, et vultu immutato [d] recepit.

---

[a] Aquâ hauriendâ, *eleganter.*

[b] Num uxorem ducendum, an matrimonio sibi abstinendum, esset.

[c] Pœnitentiam esse acturum. *Plin., Curt., Auct. dial. de Orat.* Notavit Auson. hac voce (pœnitentia) Ciceronem abstinuisse. Usurpatur tamen a Livio, compluribusque aliis.

[d] Constante.

Poculum labris cum admoveret, et uxor in lacrimas effusa[a] innoxium mori clamaret, "Quid ergo," inquit, "visne me mori nocentem?"

Ex. LXVII. Vol. I. P. 286.

Caius Popilius ad Antiochum legatus missus est, qui, ut bello contra Ptolemæum absisteret, ei persuaderet. Cum in conspectum venisset, et Antiochus ei manum amicè porrexisset, ille vicissim suam porrigere noluit, sed tabellas, senatus consultum continentes, ei tradidit. Antiochus, iis perlectis, dixit, se cum amicis esse collocuturum. Indignatus Popilius, quòd aliquam moram proposuisset, solum, cui insistebat, circulo inclusit, aiens "Priusquam hoc circulo excedas[b], da mihi responsum, quod ad senatum referam." Antiochus illico ei confirmavit, haud fore diutius, quare de se quereretur Ptolemæus[c].

Ex. LXVIII. Vol. I. P. 288.

Cum Scipio Africanus in villa sua commoraretur, prædonum manus ad eum videndum venit.

---

[a] Uxor lacrimis obortis.

[b] Antequam hoc circulo egrediaris. *Rarius* hunc circulum; *ita tamen scribunt auctores classici.*

[c] Fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur.

Eos sibi vim inferre in animo habere ratus[a], præsidium domesticorum in tecti fastigio collocavit, et seipsum defendere parabat. Prædones, hac re cognita, armis abjectis, foribus appropinquârunt, ei confirmantes, se non vitæ ejus hostes, sed virtutis venisse admiratores. Hoc audito, fores reserari, et prædones intromitti jussit. Ubi primum ingressi sunt, manum ejus avidè comprehenderunt, eamque osculati sunt, lætantes, quòd sibi Scipionem videre contigisset.

Ex. LXIX. Vol. I. P. 294.

Accidit, ut Cyrus, quadam nocte in regia sua dormiens, hocce somnium videret[b]. Juvenis humanâ augustioris formæ ad eum accedere, et his verbis compellare visus est:—“ Cyre, teipsum ad mortem parato: nunc enim terris es excessurus.” Experrectus, et mortem sibi adesse credens, Jovi cæterisque Diis immortalibus sacra fecit. Inter rem divinam[c] ita breviter precatus

---

[a] Iis vim sibi inferre in animo esse existimans. Eos velle sibi vim inferre putans.

[b] Accidit, ut Cyro quadam nocte in regia sua dormienti hocce visum in somnis occurreret.

[c] Inter sacra.—Dum res divina agebatur—fiebat. *Hirt. B. A. cap.* 86.

est: "Dii, hæc sacra accipite; pro omnibus in me beneficiis collatis, vobis gratias ago[a]; et mihi talem obitum, qualem vitam dedistis, ut concedatis, oro."

Ex. LXX. Vol. I. P. 301.

Deinde filios suos arcessivit, et ita eos allocutus est:—"Vitæ finis jam adest; me autem posthac victurum et beatum fore, spero[b]. Nunquam mihi persuaderi passus sum, animum, quamdiu in corpore sit, vivere, et, cum excesserit, perire. Nihil somno morti est similius; attamen in somno est maximè, ubi animus hominis suam divinitatem declarat[c]. Quod ad corpus attinet[d], postquam mortuus ero, neve auro neve argento includatis, terræ autem, communi omnium matri, reddatis, mando. Valete mei filii, valete omnes amici." His dictis caput operuit, et paulo post animam efflavit.

---

[a] Pro vestris omnibus in me beneficiis, gratias reddo. Omnium in me beneficiorum gratias ago. *Cic. Ep. Fam.* 13. 29.

[b] Mors jam adest—instat; vitæ autem futuræ atque felicitatis spem habeo—mihi spes est.

[c] Se divinum esse demonstrat. Attamen dormientium animi maxime declarant divinitatem suam. *Cic.*

[d] De corpore. *Cic. Ep. Fam.* 14. 1.—14. 4.

Ex. LXXI. Vol. I. P. 306.

Cum Ptolemæus Euergetes in expeditionem in Syriam proficisceretur, regina Berenice, quæ eum egregiè carum habebat [a], pericula, quibus objiceretur, timens, capillos, si sospes rediisset, consecraturam esse vovit. Princeps non tantum salvus, sed etiam victor, regressus est. Quare Berenice, ut votum solveret, protinus capillos abscidit, et Diis dicavit. His [b] autem per sacerdotum negligentiam amissis, Ptolemæus graviter offensus [c], iis negligentiæ pœnas minatus est [d]. Quare Conon Samius, mathematicus insignis, ut iram regis leniret, reginæ capillos in cœlum sublatos, et in sidus conversos esse, dictitavit.

Ex. LXXII. Vol. I. P. 309.

Indicium ad Cæsarem Augustum delatum est, L. Cinnam vitæ insidias struere [e]. Dictum

---

[a] Quæ eum quam maximè amabat. Quæ eum unicè diligebat.

[b] Quibus autem.

[c] Ptolemæus indignatus.

[d] Denunciavit.

[e] Insidias facere—ponere—parare. *Insidiari,* i. e. *in insidiis esse,* etsi vox per se proba, hocce in loco, ut opinor, foret minus propria.

est ei[a], quando, ubi, et quomodo aggredi vellet. Hoc audito, Augustus consilium amicorum in proximum diem convocari jussit; interea noctem valde inquietam egit. Gemens identidem, varias, et inter se contrarias, voces secum edidit. " Quid," inquit, " egone hostem meum securum ambulare[b] patiar, dum ego ita sum sollicitus? Annon ille dabit pœnas, qui vitam, tot præliis frustra petitam, adimere statuit?" Eum interpellavit uxor, et dixit[c], " Adhuc nil severitate profecisti[d]; experire[e], quomodo tibi cedat clementia."[f]

Ex. LXXIII. Vol. I. P. 313.

Augustus uxori gratias egit, et confestim[g] Cinnam arcessivit. Ubi adfuit, Cæsar, omnibus arbitris amotis, cathedram Cinnæ poni jussit: deinde eum his verbis allocutus est[h]: " Hoc pri-

---

[a] Certior factus est. Edoctus est.
[b] Incedere.
[c] Eum his verbis interpellavit.
[d] Profuisti. [e] Tenta.
[f] Quid clementia efficiat.
[g] Sine mora.
[h] Eum ita—hac voce—compellavit.

mum abs te peto, ne me loquentem interpelles: cum finem fecero, tibi pro teipso respondere licebit. Tametsi te contra me armatum inveni [a], mihique hostem esse perspexi, tuæ tamen vitæ peperci [b], tibique bona concessi; hodie tantæ sunt tuæ divitiæ [c], ut etiam victores victis invideant. Cum sacerdotium peteres, complures, quorum parentes mecum militaverant, præterii, tibique dedi [d]; attamen, quamvis ita hæc sunt [e], in vitam meam consilium cepisti." Nil amplius dixit, et ex eo die Cæsar, omnibus in rebus, Cinnam amicissimum fidelissimumque cognovit.

Ex. LXXIV. Vol. I. P. 318.

Cum aper ingentis magnitudinis pecora in monte Olympo, itemque multos agrestes, dilaceraret, missi sunt homines, qui regis opem implorarent. Atys, unus e regis filiis, adolescens ani-

---

[a] Deprehendi.

[b] Vitam tibi peperci. *A. Gell.* 16. 19. (*Rara formula.*) i. e. *Vitam tibi condonavi.*

[c] Adeo abundas hodie.

[d] Sacerdotium petenti, compluribus, quorum parentes mecum militaverant, præteritis, tibi dedi.

[e] Ita hæc se habent. Ita hæc habent—perraro.

mo audax[a], patri institit[b], ut sibi ire, et aprum ad cædendum opitulari, permitteret. Rex somnium recordatus, quo filium suum hasta perire vidit, primò veniam denegavit[c]; reputans tamen, non tam dentem ferinum, quam acutum ferrum, sibi timendum esse, annuit[d]. Adolescens igitur profectus est: et omnibus in cædem apri intentis, et inter se, quis eum primus feriret, certantibus, hasta, ab uno agrestium temere emissa, aberrans, Atydi cor transfixit, et ita patris somnium in rem veram convertit[e].

Ex. LXXV. Vol. I. P. 321.

Cicero Servilio salutem dicit. Amicum Laodicensem, posteaquam discessi, pluris facio, quòd multis rebus expertus sum gratum hominem. Itaque eum Romæ libentissimè vidi; non enim te fugere potest, qui plurimis benignè fecisti[f],

---

[a] Animi audacis. Quodvis ad inceptum—quodvis ad suscipiendum—promptus.

[b] A patre contendit. *Cic. Ep. Fam.* 13. 6.

[c] Abnuit. Recusavit.

[d] Concessit.

[e] Atque patris somnium ita verum reddidit. Adeoque, ut patris somnio eventus responderet, effecit.

[f] Plurimis benefecisti — Plurimis beneficia contulisti. *Suet.* In plurimos. *Cic.*

non multos gratos reperiri. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declarâris [a], quanti me facias, id est, si receperis eum in fidem tuam, et quibuscunque rebus honestè, ac sine molestia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi vehementer erit gratum, idque ut facias, etiam atque etiam rogo. Vale.

Ex. LXXVI. Vol. I. P. 324.

Si fuissem Cæsar, ita cum rege Gallorum egissem. "Frater," dixissem, "aliquis malus genius hoc bellum inter nos excitavit [b]; nec certamen fuit [c] de vita, sed de imperio [d]. Tu, pro virili parte, teipsum fortem strenuumque militem præstitisti [e]; fortuna tamen mihi favit [f], teque e rege captivum fecit. Quod tibi accidit, mihi accidere potuit; tuaque clades de rerum omnium humanarum instabilitate [g] nos admonet. Tibi vitam, tibi libertatem concedo [h]; et pro hoste amicum te recipio. Dehinc beneficiis alter cum

---

[a] Demonstrâris—manifestâris. *Justin.*

[b] Commovit.

[c] Certatum est.

[d] Ditione.

[e] Præbuisti.

[f] Attamen fortuna mecum stetit.

[g] Clades . . . . . instabilitatis nos admonet—inconstantiæ omnium humanarum rerum nos commonefacit.

[h] Condono.

altero certemus [a]; et certamen sit, non uter latiùs, sed uter moderatiùs regnet.

Ex. LXXVII. Vol. I. P. 330.

Pyrrhus, Argivorum urbem adortus, noctu interfectus est, et in viis postridie mane repertus. Alcyoneus, regis Antigoni filius, caput ejus abscissum ad patrem attulit, atque ad pedes projecit; quare Antigonus acriter eum objurgavit, quòd tanti viri exitio lætaretur, omnium rerum humanarum levitatis [b] immemor. Deinde capite sublato, et corpori Pyrrhi reddito, eum honorificè cremandum curavit; et ossa, aureâ urnâ inclusa, filio Heleno in Epirum portanda, dedit.

Ex. LXXVIII. Vol. I. P. 335.

Veram sapientiam semper comitatur modestia [c]. A quibusdam Ionicis adolescentibus uno retis [d] jactu de Milesiis piscatoribus empto, ubi primum ad terram retractum est rete [e], tripos au-

---

[a] Inter nos certetur. Mutuo certemus.

[b] Inconstantiæ. *Cic.*—Instabilitatis. *Plin. ut supra.*

[c] Vera cum sapientia semper conjuncta est modestia.

[d] Verriculi. (*V. Max.*) *Anglicè,* "a drag-net."

[e] Cum primum ad littus reductum est verriculum. *Cic. Att.* 4. 1.

reus in conspectum cecidit [a]. Piscatoribus, se pisces tantum quotquot capti forent vendidisse [b], et adolescentibus, quicquid reti inesset jure suum esse, affirmantibus [c], controversia [d], utrorum tripos esset [e], inter eos exorta est. Hanc ut dirimerent [f], oraculum Delphicum consuluerunt, quod Græcorum sapientissimo eum dari jussit. Thaleti igitur dederunt, ille Bianti, et ad cæteros Græcos sapientes delatus, tandem ad Solonem pervenit; qui, Deum solum sapientiâ præstare dicens, ad oraculum Apollinis mitti jussit.

Ex. LXXIX. Vol. I. P. 337.

Cambyses, rex Persiæ, vino nimis deditus erat. Præxaspes, unus e carissimis amicis, ut parcius biberet, eum admonuit, ebrietatem in rege

---

[a] Oculis obversatus est.—In conspectum datus est.—Sese dedit—venit.—Comparuit.—Exstabat.

[b] Piscium capturam vendidisse. *V. Max.*

[c] Asserentibus. *Script. Arg. Æt.* Parum liquet, scriptores aureæ ætatis huic verbo hanc notionem subjecisse.

[d] Contentio.

[e] In controversiam venit, utrorum tripos esset. Ad utros jure pertineret. *Flor.* 2. 8. *Pertinere* autem raro usurpatur in hoc sensu, et nunquam, credo, a scriptoribus aureæ ætatis.

[f] Componerent. Tollerent.

turpem[a] esse dicens. Cambyses respondit, "Statim tibi ostendam, post vinum oculos manusque in officio esse." Inde liberius quàm alias bibit[b], ebriusque Præxaspis filium, sinistrâ supra caput allevatâ, procul stare jussit. Tum arcum intendit, et cor juvenis transfixit, simul patrem interrogans, num sibi firma satis esset manus. Ea fuit crudelitas hujus monstri. Quem aliorum miseria delectat, is vita indignus est.

Ex. LXXX. Vol. I. P. 342.

Quædam ancilla a duobus hospitibus pecuniam acceperat, hac autem conditione[c], ne redderet, nisi ambo adessent. Aliquanto post alter ex iis ad eam rediit, et socium mortuum esse simulans, pecuniam abstulit. Postea supervenit item alter, et eam postulavit. Inops consilii erat ancillula[d]; tum pecuniâ, tum amicis, ad defensionem carens, eo desperationis redacta est, ut etiam sibi mortem consciscere[e] in animo esset.

---

[a] Turpe, sciz. *negotium*. [b] Vinum hausit.

[c] Lege.

[d] Ancillula quid faceret nesciebat. Hærebat misera in magna pariter et pecuniæ et defensionis penuria. *V. Max.*

[e] Eo desperationis redacta est, quippe cui nec pecunia esset, nec amici, qui defenderent, ut etiam de vitæ finem

Demosthenes, re audita, sese pro ea interposuit[a], hominique dixit: "Mulier nummos reddere est parata; ni autem alterum adduxeris, id ex pacto[b] facere non potest." Quare homo abiit.

Ex. LXXXI. Vol. I. P. 344.

Dionysius, Platonis nomine delectatus, eum videre magnopere se velle dictitabat. Philosophus, tum quadraginta annos natus, tyrannum invisit. Rege autem liberos ejus de tyrannide sermones ægre ferente[c], Plato fere in eo erat, ut morte mulctaretur[d]; amici autem Dion et Aristomenes ejus causam egerunt, et his[e] deprecantibus tyrannus vitæ pepercit[f]; cuidam autem Potidio pro servo vendendum tradidit. Hic itaque eum in Æginam asportavit, et feliciter Platoni

---

faciendo cogitaret. *Notandum est autem, raro quidem inveniri gerundium ablativi casus, transitivè positum cum præpositione.* (*Vid. Rudd. Gram. Maj.*) De vitæ fine faciendo. Ut vitæ finem facere cogitaret. Mortem voluntariam consciscere. *Cic. Ep. Fam.* 7. 3.

[a] Ejus causâ intervenit. [b] Fide salva.

[c] Indignante.

[d] Parum abfuit, quin Platoni mors irrogaretur. *Tac.* Propius nihil erat, quam ut Plato necaretur.

[e] Quibus deprecantibus. [f] Vitam condonavit.

cecidit [a], ut quidam Anniceres, Cyrene oriundus, in insula tunc temporis esset; ille enim summam, quam Potidius poposcit, persolvit, et philosophum Athenas remisit.

Ex. LXXXII. Vol. I. P. 349.

Quidam, cui duæ erant filiæ, alteram olitori [b], alteramque figulo, in matrimonium dedit [c]. Paucos post menses [d], olitoris uxorem invisit, et quomodo valeret, et qua conditione [e] res ejus sese haberent, percontatus est. Illa respondit, sibi omnia esse abunde, et unam rem tantum a Diis precari [f], ut pluviæ essent, quibus irrigarentur olera. Deinde uxorem figuli invisit, et idem ex ea quæsivit. Illa respondit, nil omnino sibi deesse, nisi cœlum serenum, quod vasa fictilia exsiccaret. "Si tu," inquit pater, "cœlum sere-

---

[a] Optimum Platoni erat, quòd. (*Liv.*)

[b] Hortulano. *Vid. Gym.* I. 281.

[c] Nuptum collocavit.—In matrimonium collocavit.—Matrimonio conjunxit.

[d] Paucis post mensibus. (*Hîc* post *adverbialiter usurpatur.*) Paucis mensibus exactis.

[e] Quo statu.

[f] Nihil præter unam rem Deos precari.

num, et soror vult pluvias, quas preces Diis adhibeam, nescio." [a]

Ex. LXXXIII. Vol. I. P. 400.

Dum Philippus bellum contra Ætolos comparabat [b], Demetrius, rex Illyriæ, nuper a Paulo consule devictus, precibus suppliciter eum aggressus est, injuriam Romanorum querens, qui, Italiæ possessione non contenti, totius orbis principatum captarent [c], et bellum cum omnibus regibus gererent. "Siciliæ, Sardiniæ, et Hispaniæ," inquit, "imperium affectantes, Pœnos adorti sunt, nec quicquam aliud est, quare mihi sint infesti, quàm quòd [d] mei ipsorum fines attingunt." Insuper addidit, quo Philippum, Romanis dominandi cupidis ad resistendum [e], excitaret, se illi regno cedere, quod hi iniquè occupâssent,

---

[a] Quid Deos—a Diis—precer—orem, nescio. Quas preces Diis admoveam.

[b] Philippo bellum contra Ætolos instruente — adornante.

[c] Appeterent.

[d] Nisi quòd—præterquam quòd.

[e] Romanorum cupiditati dominationis ad obsistendum, induceret.

gratius habiturum, si in possessione imperii sui socium, potius quam hostem, videret [a].

Ex. I. Vol. II. P. 11.

C. Canius, Romanus eques, homo cui nec facetia nec literæ deerant, quum se Syracusas, otiandi (ut ipse dicere solebat) haud negotiandi causa, contulisset, dictitabat se emere velle hortulos aliquos, quò invitare amicos, et ubi oblectare se sine interpellatoribus, posset. Quod cum percrebuisset [b], Pythius quidam, qui argentariam faceret Syracusis, ei dixit, sibi esse hortos, haud venales [c], sed Canio licere iis, si vellet, pro suis uti. Eum quoque in hortos ad cœnam in posterum diem invitavit. Canius pollicitus est. Pythius, quippe qui apud omnes ordines Syracusis gratiosus esset, piscatoribus, ut eo die ante hortos piscarentur, compluribus persuaserat.

---

[a] Si imperium suum possidere, socium, potius quam hostem, cerneret.

[b] Quod, ubi increbuit. Hac re vulgata. Divulgata.

[c] Quos vendere nollet.

Ex. II. Vol. II. P. 16.

Tempore dicto venit Canius. Opiparum convivium erat paratum : cymbarum ante oculos multitudo ; et piscatores, quicquid piscium ceperant, afferebant, et ante pedes Pythii projiciebant. "Quæso," inquit Canius, "quid hoc sibi vult? Tantumne est tibi piscium? Tantumne cymbarum?" "Certe," respondit ille ; "Syracusani hac villa mea carere non possunt." Canius hortos (habere) vehementer cupiens, ut venderet, rogavit. Pythius primò gravabatur [a]; tandem autem annuit, et Canius, tanti, quantum Pythius poscere voluit [b], eos emit. Postridie Canius amicos in hortos invitavit, et ipse venit mature. Nusquam in oculis vel cymba erat, vel piscator [c].

Ex. III. Vol. II. P. 20.

E proximo vicino quærit Canius, num feriæ piscatorum essent, quòd nullos videret. "Nullæ

---

[a] Pythius primò gravari.

[b] Tanti, quanti voluit Pythius ; i. e. Canius emit eos tanti, Pythius voluit, ut emeret quanti.

[c] Nulla cymba erat in conspectu, nullus piscator. Nec cymba nec piscator comparebat.

quòd sciam," inquit ille; "piscatores hîc piscari non solent, et mirabar multum, quid heri accidisset." Stomachari Canius; at quid faceret? In lege nihil erat remedii; nam, uti narrat Cicero, formulas de dolo malo Aquillius nondum protulerat; de quibus, inquit orator, mihi ex eo, quid esset dolus malus, quærenti [a], respondit, "aliud simulare et aliud agere." [b] Pythius igitur, inquit Cicero, omnesque aliud simulantes, et aliud agentes [c], perfidi sunt et improbi.

Ex. IV. Vol. II. P. 26.

Fulvius Flaccus principes Campanæ civitatis ob perfidiam supplicio capitis [d] afficere statuerat, et sane complures morte mulctati erant [e]. Propter literas tamen a senatu [f] acceptas, a pœnis petendis absistere [g] coactus est. Hisce in rebus, Jubellius Taurea ultro se obtulit, dicens [h]; "Quandoquidem, Fulvi, sanguinem nostrum ef-

---

[a] De quibus a me interrogatus.

[b] Quum esset aliud simulatum, aliud actum.

[c] Et omnes, qui hoc simulant, illud autem agunt.

[d] Capitali supplicio.

[e] Et complures profectò morte mactati fuerant.

[f] Ex senatu. [g] Finem eorum pœnæ statuere.

[h] Hac voce se obtulit—"Quandoquidem," &c.

fundere tam vehementer cupis [a], cur in me securim cruentam destringere cunctaris [b], ut gloriari possis, fortiorem, quam ipse es, abs te esse occisum ?" Eo respondente, se libenter ita facturum, ni a senatu prohibitus esset [c], "Me igitur aspice," inquit alter, "facinus, tuis quidem oculis gratum, sed animo tuo majus, edentem." Inde in gladium incubuit [d], et vitam efflavit.

Ex. V. Vol. II. P. 35.

Postquam Cyrus adolevit, Harpagus ei epistolam scripsit, in qua eum hortatus est [e], ut avo Astyagi, qui in Persiam ablegâsset, bellum inferret, regnumque occuparet. Cyrus, epistola perlecta [f], idem somnio aggredi jussus est, itemque ut socium assumeret, quem primum postero die obvium habuisset, est admonitus. Cyrus ita fecit ; et populum suis consiliis favere sentiens [g],

---

[a] "Quoniam, Fulvi, sanguinis nostri hauriendi tanta cupiditate teneris."

[b] Moraris.

[c] Ei se libenter ita facturum, nisi a senatu impeditus esset, respondenti, "Me igitur spectes," inquit.

[d] Gladio—mucroni.

[e] Eum adhortans, ut.

[f] Litteris perlectis.

[g] Consiliis suffragari videns—animadvertens.

exercitu conscripto, contra Astyagem contendit. Prælium factum, in quo rex captus est. In illum tamen Cyrus nepotem, magis quam victorem, egit[a]: nihil enim aliud, nisi regnum, abstulit; et Hyrcaniæ eum præposuit[b].

Ex. VI. Vol. II. P. 42.

Pyrrhus, rex Epiri, animo miti erat insignis. Quosdam Tarentinos de se sermonem minimè honoratum in convivio habuisse, audito[c], eos qui, uti ad eum delatum erat, ei interfuerant[d], arcessitos, num ea, quæ ad aures ejus pervenerant[e], revera dixissent, percontatus est. Tum unus ex his ingenuè respondit, "Nisi vinum nos defecisset[f], ista, quæ tibi relata sunt, præut quæ de te eramus dicturi, lusus ac jocus fuissent. Hæc crapulæ excusatio, et veritatis tam simplex con-

---

[a] Erga illum tamen Cyrus nepotem magis quam victorem sese præbuit.

[b] Hyrcaniam ei gubernandam detulit.

[c] Quum ei delatum esset, quosdam Tarentinos vocibus maximè contumeliosis de seipso inter epulas usos esse. Contumeliosissimè a quibusdam Tarentinis de seipso in convivio dictum esse, certior factus.

[d] Quos interfuisse cognoverat—intellexerat.

[e] Pervenissent. (*Vid. Not. in Ex. XXXI. Vol. I.*)

[f] Deseruisset. *Cic. Att.* 7. 7.

fessio, iram regis converterunt in risum. Huc vertit[a] ejus clementia, et hæc animi moderatio, ut semper posthac Tarentini sobrii ei gratias referrent, ebriique bene precarentur.

Ex. VII. Vol. II. P. 52.

Alcibiades, quosdam e Lacedæmoniis, quorum invidiam excitaverat, vitæ suæ insidias struere certior factus, ad Tissaphernem Lydiæ præfectum perfugit, adeoque rem egit, ut morum elegantia, summaque dexteritate, citò in ejus gratiam sese insinuaret[b]. Ubi se apud eum plurimum posse intellexit, ei, ne Lacedæmoniis classem aut belli subsidia suppeditaret, dissuadere ausus est. Eum admonuit, Græcis civitatibus inter se dissidentibus, Darium belli pacisque fore arbitrum; simul ei confirmans, regem, quos suis nequiret, ipsorum armis, esse victurum. Hoc consilium Tissaphernes non solum benigne audivit[c], verum etiam omnino secutus est[d].

---

[a] Huc evasit. Hacce ejus clementiâ animique moderatione factum est, ut, &c.

[b] Ejus gratiæ insinuaret. *Justin. Parum usitatè.*

[c] Excepit.

[d] Studiosissimè est secutus. *Ter. Cic.* Huic studiosè paruit. *Cic. Ep. Fam.* II. 1.

Ex. VIII. Vol. II. P. 57.

Brutus, ab Antonio et Octavio ad Philippos victus, ne in manus hostium veniret, sese in fugam contulit. Quidam Lucinus, paucos equites animadvertens eum, quantum poterant, insequentes, iis, ut ducis vitam servaret, seipsum objecit, Brutumque esse dixit. Equites, hac re lætati, persequi destiterunt; et nuncios, qui Brutum captum esse, Antonium certiorem facerent, miserunt. Antonius, nuncio accepto, quomodo captivum illustrem tractaret, nesciebat[a]. Hac autem sollicitudine mox liberatus est; Lucinus enim paulo post advenit, et quisnam esset confessus est. Interea Brutus effugit.

Ex. IX. Vol. II. P. 61.

Ludovicus Galliarum rex, ejus nominis undecimus, quum, rebus domi turbatis, apud Burgundiones commoraretur, cum quodam homine rustico, sed animi simplicis atque sinceri, familiaritatem contraxit[b]. Ad ejus domum ex venatu rex

---

[a] Quomodo in captivum illustrem se gereret, dubitabat—hærebat. Animi pendebat. (Archaismus ex Græcorum more, pro *animo*. Usurpatur a Plauto et a Terentio.—In Cicerone pluries occurrit.)

[b] Cujusdam hominis rustici . . . in familiaritatem venit.

sæpe divertebat; et, uti plebeiis rebus nonnunquam delectantur principes, cum eo atque uxore summa voluptate vescebatur rapis. Ludovico in regnum restituto, submonuit Cononem uxor, ut regem adiret, veterisque hospitii commonefaceret, itemque, ut nonnullas insignes rapas regi dono afferret. Tergiversatus est Conon, se operam lusurum esse [a] dicens, reges enim talia beneficia haud memoria tenere [b].

Ex. X. Vol. II. P. 63.

Vicit tamen Cononis uxor; ille itaque aliquot rapas insignes deligit, et itineri se accingit. Inter viam [c] tamen esuriens omnes, præter unam insigniter magnam, devoravit. Cum in regiam aulam prorepsisset, per quam rex erat transiturus, statim a rege agnitus est; et ad congressum invitatus. Ille magna cum alacritate ra-

---

[a] Perditurum esse—Nihil acturum esse aiens.

[b] Haud meminisse—oblivisci.—Reges talium beneficiorum memoriam haud retinere—Talia beneficia memoriâ regum dilabi—elabi—excidere. Ejusmodi beneficia memoriam regum fugere.

[c] In via. In itinere. Attamen cum iter faceret, esuriens.

pam protulit, et rex adhuc majore eam accepit, cuidam e ministris mandans, ut inter ea, quæ pro carissimis haberet[a], deponeret. Mille etiam aureos coronatos pro rapa Cononi numerari jussit. Famâ hujus rei citò divulgatâ, quidam ex aulicis regi elegantem equum donavit[b].

Ex. XI. Vol. II. P. 67.

Rex, aulicum liberalitate, quam Cononi præstiterat[c], provocatum, prædam captare intelligens, donum mira alacritate accepit, et proceribus convocatis consultare cœpit, quomodo equum tam elegantem pensaret. Interim, aulicus spes summas animo concipiebat[d], ita secum argumentans; "Si rex tam liberaliter rapam a rustico donatam pensârit, quanto liberaliùs equum, ab aulico donatum, est pensaturus?"[e] Postquam proceres singuli sententias dixerant, cumque aulicus vanâ spe diu lactatus esset, rex tandem, "Venit," inquit, "mihi in mentem, quod illi donem;" et cuidam[f] e proceribus accito in aurem dicit, ut sibi

---

[a] Carissima haberet. Pro carissimis duceret.

Regem equo elegante donavit. Equum regi dono dedit.

Præstitisset, i. e. Se præstitisse meminit—scivit.

In maxima spe erat. Summam spem habebat.

Pensabit?

Et accersito ex proceribus quopiam. (*Erasmus.*)

afferret, quod, in loco quodam, serico diligenter obvolutum, inveniret.

Ex. XII. Vol. II. P. 75.

Rapa itaque allata est, et rex sua manu diligenter, ut erat, obvolutam, aulico donavit. Rex simul ei dixit, equum esse pretiosissimum sese quidem credere, re autem abunde pensari, quæ sibi constitisset mille coronatis aureis. Aulicus, hoc audito lætatus, et haud dubitans quin aliquid haud mediocris pretii sibi datum esset [a], regi pro liberalitate gratias retulit, et inde discessit. Videre, quid serico inesset [b], impensè cupiens [c], sustulit, et summo cum dolore rapam jam subaridam reperit. Ita captator, ipse captus, risui fuit omnibus proceribus.

Ex. XIII. Vol. II. P. 81.

Tempore æstivo, cum animalia siti vexantur, leo et aper ad fonticulum bibendi causâ venerunt. Contentione autem orta, uter prior biberet, et

---

[a] Nec dubitans, aliquid haud mediocriter pretiosum sibi esse datum.

[b] Sericum, quid ei inesset—quid includeret—quid haberet. *Liv.*—quid contineret. *V. Max.* . . . . sustulit.

[c] Videndi impensè cupidus.

atroci prælio facto, res ad cædem spectare videbatur[a]. Postquam diu pugnârant, spatii aliquantulum cessantes, ut animam reciperent, vultures aliquot, prior qui cecidisset, eum ut devorarent, exspectantes, conspicati sunt. Hac re adducti inimicitias posuerunt, dicentes, "Præstat nos fieri amicos, quam vulturibus et corvis esse prædæ." Fabula monet, satius esse lites et contentiones dirimere[b], quam eousque, dum omnibus vel dedecori vel exitio sint, protrahere.

Ex. XIV. Vol. II. P. 84.

Cuidam erant equus et asinus. Dum iter faciebant[c], asinus equo dixit, "Partem feras mei oneris, si me vivere vis[d];" alter autem noluit. Tandem asinus, fatigatione procumbens, animam efflavit. Tum equi in tergum a domino impositis asini onere, itemque pelle, equus exclamavit[e], "Heu me miserum; partem oneris portare no-

[a] In cædem exitura videbatur.

[b] Litium et contentionum finem facere.

[c] Iis iter facientibus.

[d] Oneris mei aliquid porta, si ut vivam velis. Asinus equum rogavit, ut parte oneris se levaret, si vivum esse vellet.

[e] Tum dominus equi tergo onus asini imposuit, etiamque pellem; quare equus exclamavit.

lebam, et nunc totum mihi ferendum est, et pellis insuper."[a] Hinc discere licet[b], primores agere prudenter, qui inferiorum onera participent; ita enim, nec aliter, et hos et illos servari posse.

Ex. XV. Vol. II. P. 93.

Mercurius, scire cupiens, quam opinionem apud homines obtineret[c], statuarii officinam, quasi aliquid empturus, introiit, humanâ formâ indutus. Jovis simulacrum cernens, quanti emi liceret[d], quæsivit. Homine "Drachma" respondente, subrisit, et "Quanti hoc Junonis?" interrogavit. Statuarius respondit "Pluris." Suum conspiciens, et quippe qui Deorum nuncius esset, cujusque nomen a mortalibus omnibus lucri studiosis invocaretur, magno in pretio fore existimans, quantum pro eo posceret, interrogavit. "Si duo alia," inquit, "emere vis, hoc tibi insuper accedet."[e] Fabula monet, quanti quanti

---

[a] Anglicè, "The whole must be borne by me;" *vel per Gerundium,* Totum mihi ferendum est, pellemque prætereà; *Anglicè,* "I must bear." *Vid. Gym. Vol.* II. *p.* 211.

[b] Hinc discere est.

[c] Qua existimatione apud homines esset.

[d] Quanti indicaret.

[e] Pro additamento accedet. Hoc, uti cumulus, tibi aderit.

nosmet faciamus, ab aliis nequaquam nos pariter æstimari.

Ex. XVI. Vol. II. P. 97.

Legati Scythici, in tentorium regium introducti, his verbis Alexandrum compellasse feruntur[a]:—"Si Dii corporis habitum tuæ imperii cupiditati parem concessissent[b], totus orbis te haud caperet. Altera manu orientem, altera occidentem contingeres: imo, hoc non contentus, scire velles, ubi sol refulgens radios suos condat. Ex Europa in Asiam, et ex Asia in Europam transis. Toto humano genere devicto, cum silvis, et fluviis, et nivibus, ferisque bestiis bellum nunc es gesturus. Quid? Anne ignoras[c], arbores magnas diu crescere, sed unâ horâ exstirpari?"

Ex. XVII. Vol. II. P. 101.

"Stultus est, qui fructus earum spectat, sed altitudinem haud metitur[d]. Cave ne, dum ad

---

[a] Memorantur esse allocuti.

[b] Si dii tantam corporis magnitudinem tibi dedissent, quanta est tua imperii cupiditas. (*Minus venuste.*)

[c] Nescisne.

[d] Qui fructus earum spectat, altitudinem autem non metitur, is stultus est.

cacumen ascendere contendis[a], cum ramis ipsis, quos comprehenderis, decidas[b]. Leo interdum avibus minimis esca[c] fuit, et ferrum rubigo consumit. Nil tam firmum est, cui ab invalido non sit periculum[d]. Quid rei tecum est nobis[e]? Nunquam tuam terram attigimus. Nec ulli serviemus, nec imperare cupimus. Dona, nobis a Diis data, jugum sunt boum, aratrum, patera et sagittæ. His utimur et cum amicis, et adversus inimicos. Tu, qui te gloriaris ad latrones puniendos[f] venisse, omnium latronum ipse es maximus."

Ex. XVIII. Vol. II. P. 104.

"Quid opus est tibi divitiis? Quò plus habes, eò plus cupis. Si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes[g], non eripere; sin homo es, quid

---

[a] Ad verticem pervenire *(Tac.)*—ut pervenias *(Cic. Cæs. Liv.)*—niteris. Ad cacumen niteris. *(Eleganter.) Cic. Quint.*

[b] Corruas.

[c] Minimarum avium pabulum fuit. *Curt.*

[d] Quin ab invalido sit periculum—periclitetur.

[e] Quid nobis tecum est?

[f] Ulciscendos.

[g] In mortales beneficia conferre debes. Te oportet mortales beneficiis afficere, non privare—non spoliare.

sis, semper cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quæ tui oblivisceris. Quibus bellum non intuleris, amicis uti potes; nam firmissima inter pares est amicitia : et hi sunt pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas. Inter dominum et servum nulla amicitia est [a]. Haud tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites [b]. Scythæ nunquam servient."

Ex. XIX. Vol. II. P. 111.

Cicero docet [c], illa promissa non esse servanda, quæ non sint iis ipsis utilia [d], quibus illa promiseris. Sol Phaëtonti filio facturum se esse dixit, quicquid optâsset. Adolescens optavit, ut in patris currum tolleretur. Sublatus est, et deflagravit. Quantò melius fuisset patris promissum non esse servatum [e]. Agamemnon Dianæ devovit, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, et immolavit Iphigeniam.

---

[a] Nihil amicitiæ est.

[b] Cujus benevolentia sit tibi dubia.

[c] Monet.

[d] Profutura.

[e] Si patris promissum non fuisset servatum.

Promissum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit[a]. Ita, inquit Cicero, facere promissa, stare conventis, et reddere deposita, quæ videntur naturâ honesta, temporibus fiunt non honesta.

Ex. XX. Vol. II. P. 116.

Clilus, unus ex Alexandri carissimis erat amicis. Quodam prælio, cum Alexander nudo capite pugnaret, et cum Rosaces, ut a tergo percuteret, brachium allevatum[b] haberet, Clitus clypeo suo regem texit, et barbari caput abscidit. Hellenice ejus soror Alexandrum educaverat, eamque Alexander, haud secus quam matrem[c], amore diligebat. Hisce de causis, Clitus fuit Alexandro percarus[d], et provinciæ latissimæ ab eo erat præpositus. Nocte priusquam[e] ad provinciam suscipiendam profectus est, Alexander eum ad convivium invitavit.

---

[a] Potius quam (ut) facinus tam tetrum admitteretur, promissum non erat faciendum.

[b] Elevatum—sublatum.

[c] Quasi mater fuisset. Quo amore si mater esset, diligebat. Haud aliter ac matrem amore complexus est.

[d] Alexander Clitum summa benevolentia complexus est, eique provinciam latissimam administrandam permisit.

[e] Nocte priore, quàm.

Ex. XXI. Vol. II. P. 119.

Ibi rex de rebus a se gestis gloriari, factaque Philippi patris sui vituperare[a] cœpit, multis e proceribus ei simul assentantibus. Præclaram ad Chæroneam victoriam suam unius esse dixit, cujus gloriam patris malignitate et invidia sibi esse ademtam. Itemque affirmavit, Philippum, seditione inter milites orta, filio ipsius vitam debuisse. Hæc et his similia læti audiebant[b] juvenes; senioribus valde erant ingrata. Contra has laudes, quibus seipsum celebrabat Alexander, Clitus, haud satis sobrius, res gestas Philippi commemorare cœpit, et suo ex judicio Alexandri factis longe præstantiores esse dixit.

Ex. XXII. Vol. II. P. 123.

Alexander, sibi patrem præferri audiens, irâ ad furorem usque accensus est, et pugione cujusdam satellitum e manu arrepto, cor Cliti penetravit[c]. In hoc atroci facinore primò exultans

---

[a] Infamare cœpit.

[b] Accipiebant. Læti auribus excipiebant.

[c] Pugionem cujusdam de satellitibus e manu arreptum Cliti in corde defixit.

morienti laudationes[a], Philippi exprobrabat; sed, ubi secum reputare cœpit, amicum senem insontemque a seipso esse interfectum, fratrem autem illius, quæ sese infantem educâsset, sceleris conscius angore animi discruciabatur[b]. Lacrimis obortis[c], corpus mortui brachiis amplexus est, et tanta vis fuit pœnitendi[d], ut telum arripiens, e vulnere avulsum, in suum corpus defixisset, ni amici ejus manum inhibuissent. Animo, ne illi superesset, obfirmato[e], triduum cibo abstinuit, cum preces totius exercitus tandem evicerunt, ut proposito absisteret. Quàm insigne documentum præbet hæc narratio, quæ exitiosa ex ebrietate et iracundia effrænata enascantur[f]!

Ex. XXIII. Vol. II. P. 128.

Operæ pretium est[g], ait scriptor inclytus, qui

---

[a] Laudatio *et* laus *hoc differunt.* Laudatio *vocem exigit;* laus *taciti est bene sentientis. Vid. Sen. Ep.* 102 *ad med.*

[b] Sceleris conscientiâ animo discruciabatur.

[c] In lacrimas effusus.

[d] *Vid. Cic. Tusc. Quæst. lib.* IV. *sub. fin.*

[e] Animo ei non superesse obstinato. Unà perire obstinatus. *Liv.*

[f] Quam præclare—Quanta vi—hæc admonet narratio, quàm funesta e temulentia indomitaque iracundia exoriantur!

[g] Pretium est (per ellipsin). *Vid. Tac. Ann.* I. 57.

omnia præ divitiis humana spernunt, neque honori locum neque virtuti putant esse, nisi ubi affluant opes [a], legere quod de T. Quinctio Cincinnato nobis est traditum. Hic vir, spes unica Romani imperii, trans Tiberim contra eum locum, ubi nunc navalia sunt, agrum quatuor jugerum [b], qui prata Quinctia vocatur [c]; sua manu colebat. Ibi hic a senatûs legatis inventus est, seu fossam fodiens, palæ innisus, seu arans, operi certe, id quod constat, agresti intentus. Salute data invicem redditaque, ut togam indueret, senatûsque mandata audiret, rogarunt.

Ex. XXIV. Vol. II. P. 141.

Multum miratus, *Satin' salva essent omnia,* rogitavit, togamque propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jussit. Deinde abstersis pulvere et sudore, quibus erat delibutus, toga se velavit, et ad legatos processit, qui eum Dictatorem consalutârunt. Cum exposuissent, quo in periculo exercitus esset, ut ad urbem quam primum se conferret, rogarunt. Flumen, nave ad id parata, transvectus [d], a tribus suis filiis, qui ei obvi-

---

[a] Abundent. Absque magnis opibus—nisi in magnis opibus—esse putant.

[b] *Sciz.* Romanorum. [c] Vocantur. (*Raro.*)

[d] *Plin.* 3. 18 *al.* 22. Flumine trajecto. *Liv.* 21. 30.

am processerunt, itemque patribus plerisque, exceptus est. Hac frequentia stipatus, antecedentibus lictoribus, deductus est domum. Plebs etiam, cui imperium ejus minus erat gratum[a], vehementer videre cupiens[b] circa eum concurrit. Die postero contra Æquos contendit[c], insignemque victoriam adeptus[d], periculo imminenti patriam liberavit[e].

Ex. XXV. Vol. II. P. 145.

Dario victo, tantum abfuit, ut Alexander vic-

---

[a] Minus placebat. [b] Videndi cupida.

[c] Profectus est.

[d] Insigni victoriâ adeptâ. Victoriâ partâ. Insigni victoriâ potitus. Insignem victoriam consecutus.

[e] E periculo imminenti eripuit. (Nota.) *Eripere* pro *vi festinanter*, vel, *raptim, adimere* jungitur dativo personæ cum accusativo rei, *e. g.* "Id totum eripere vobis . . . . conatus est." *Cic. De Leg. Agr.* Cum liberationem denotat, fere semper apud oratores regit accusativum personæ, sequente ablativo rei, cum præpositionibus, *a, de, e, ex.* "Ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset." *Cic. Ep. Fam.* IX. 13. *Eripere aliquem timori, morti, dolori, &c.* pro *liberare* dictio est rara, nisi apud poetas. Hoc sensu tamen sæpe legere est, *Eripere timorem, dolorem, &c. alicui.* "Hunc mihi timorem eripe." *Cic. in Cat.* "Eripe mihi hunc dolorem." *Id.* i. e. *Libera me ex hoc dolore.*

toria abuteretur [a], ne minimam quidem injuriam inferri victis pati voluit. Moderatione et clementia omnibus sui admirationem injecit, universamque laudem sibi consecutus est [b]. Cum Sisygambis, Darii mater, ad eum esset introducta, his verbis eum compellavit :—" Mereris, ut ea precemur tibi, quæ Dario precari solebamus. Hac re dignus es, qui regem, non felicitate solum, sed etiam æquitate, superes. Tu, quidem, matrem me et reginam vocas ; sed ego me tuam famulam esse confiteor. Præteritæ fortunæ jam fastigium cepi, et præsentis jugum ferre possum. Tui est arbitrii [c] seu clementiam seu crudelitatem exercere." " Noli timere," inquit Alexander; " bono animo es." Deinde filium Darii complexus est, et puerulus, conspectu Alexandri tum primum a se visi [d], nihil conterritus, collo ejus parvulas manus implicuit. Rex, infantis

---

[a] Adeo non abusus est victoria Alexander, ut ne minimam quidem injuriam inferri victis pati vellet. Tantum abfuit, ut Alexander victoriâ abuteretur, ut . . . . . vellet.

[b] Laudem sibi peperit. Effecit, ut omnes admirarentur, et collaudarent—ut apud omnes in laude et admiratione esset. *Admirationem consequi, admirationem parere,* nuspiam, quòd sciam, inveniuntur. Favet certè analogia.

[c] Tua in manu situm est.

[d] Haud antea visi.—Quem tum primum videret.

constantia motus[a], Hephæstioni dixit, "O quam velim, ut pater ejus aliquid ex hac indole hausisset."

Ex. XXVI. Vol. II. P. 149.

Apud Parthos signum datur tympano, et non tuba. Diu pugnare nequeunt; et sane, si perseverantia furori eorum par esset[b], forent invicti[c]. Singulis plures sunt uxores; nec ullum delictum adulterio gravius vindicant. Carne, non nisi venatibus quæsita, vescuntur. Equis vehi magnopere gaudent; et hoc inter liberos servosque præcipuum est discrimen[d], quod servi pedibus, liberi equis, incedunt. Auri argentique nullus, nisi in armis, usus. Pugnantes, fugam sæpe fingunt, qua re hostes insequentes incautos reddant[e]. Naturâ taciti ad faciendum, quam ad dicendum, sunt promptiores. Fides promissis nulla, nisi quatenus expedit. Principibus metu, non reverentiâ, parent.

---

[a] Infantis animum minime perturbatum admiratus.

[b] Si tanta esset perseverantia, quantus furor.

[c] Iis resisti non posset.

[d] Hoc præsertim inter liberos servosque interest, quod hi pedibus, illi autem equis, incedunt.

[e] Quo hostes incautos habeant. *Just.* 41. 2. *Ter. And.* 3. 1. 14.

Ex. XXVII. Vol. II. P. 154.

In rebus prosperis, et ad voluntatem nostram fluentibus [a], superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere fugiamus [b]. Res vel adversas, vel secundas immoderate ferre, levitatis est [c]; uti, e contrario, æquabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons, virum sapientem, firmum, bonumque indicant [d]. Ita de Socrate, itemque de Lælio accepimus [e]. Philippum, Macedonum regem, rebus gestis et gloriâ superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque pater semper magnus, filius sæpe turpissimus fuit. Recte igitur præcipere videntur, qui monent, ut, quanto superiores sumus [f], tanto nos geramus submissiùs.

Ex. XXVIII. Vol. II. P. 163.

Claudio Marcello et C. Valerio consulibus,

---

a Ex voto, ex optato, ex animi sententia procedentibus—nostro optato respondentibus. *Cic. Ep. Fam.* 2. 1.

b Studiose fugere oportet.

c Levis est animi.

d Declarant.

e Talis, uti fertur, erat Socrates, etiamque Lælius.

f Simus. *Vid. Le Clerc.*

plurimi[a] homines Romæ morbo peribant. Quænam esset causa, num cœli intemperies, an fraus humana, valde incertum habebatur. Cum primores civitatis eodem morbo, ejusque fere omnes iisdem indiciis, morerentur, ancilla Q. Fab. Maximum, tunc temporis Curulem Ædilem, adiit; et se causam pestis indicaturam pollicita est[b], si fides sibi data esset, haud futurum noxæ indicium. Fabius confestim rem cum consulibus communicavit[c], et hi ad senatum retulerunt[d], cujus consensu fides publica indici data. Tum ea edocuit, muliebri fraude civitatem premi, luemque ex venenis, quæ a matronis in urbe consociatis coquerentur, exoriri; et, si seipsam extemplo sequi vellent, eas manifesto deprehendi posse.

Ex. XXIX. Vol. II. P. 166.

Qui eam comitati sunt, quasdam[e] medicamenta

---

[a] Frequentes Romæ morbo interibant.

[b] Promisit.

[c] Ad consules (consulibus *rariùs*) detulit.

[d] Quibus ad senatum referentibus, ejus consensu fides publica indici est data. (*Participium præsentis temporis sæpe vim habet præteriti.*)

[e] Alias. A quibusdam medicamenta coqui, et apud alias diligenter recondita.

coquentes, et apud alias ea diligenter recondita, invenerunt[a]. Venenis in forum delatis, et matronis ad viginti, apud quas deprehensa erant, per viatorum accitis, duæ ex iis, Cornelia et Sergia, patriciæ utraque gentis, medicamenta salubria esse contendentes[b], ab eadem bibere jussæ sunt, u tse falsum commentam arguerent. Postquam aliquandiu cum suis sociis sermonem contulerant, ille cæteræque tandem annuerunt, et medicamento epoto[c], omnes interiêre. Sociæ earum cæteræ postea comprehensæ sunt, et septuaginta capitis damnatæ. Nunquam ante eam diem de veneficiis Romæ quæsitum erat.

Ex. XXX. Vol. II. P. 169.

Scipio queri solitus est, quod omnes homines diligentiores essent, ut capras et oves, quot quisque haberet, dicere posset[d]; amicos autem quot haberet, non posset dicere: et in illis parandis adhibere curam[e]; in amicis eligendis neg-

---

[a] Repererunt.

[b] Quum medicamenta salubria esse contenderent.

[c] Cum medicamentum hausissent.

[d] Querebatur homines diligentiores esse, ut capras et oves, quisque suas, enumerare possent.

[e] Emendis. Mercandis . . . . . curam ponere.

ligentes esse: nec habere quasi signa quædam, et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, judicarent. Difficile sane est judicare, nisi expertum; experiendum est autem in ipsa amicitia. Ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi potestatem. Si erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ sordidum [a] existiment; ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiæ non anteponant. Imbecilla [b], enim natura est ad contemnendam potentiam; quam si neglecta amicitia consecuti sunt [c], se obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. Itaque veræ amicitiæ difficillime reperiuntur [d] in iis, qui in honoribus, reque publica versantur. Sed hæc ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates [e]? Qui igitur, cum in bonis tum etiam in rebus adversis, stabilem se in amicitia præsti-

---

[a] Sordidi esse animi.

[b] Infirma.

[c] Comparârunt,—assecuti sunt.

[d] Veras amicitias reperire difficillimum est.

[e] Quam grave, quamque durum plerisque videtur, socios esse infelicitatis?

terit, hunc ex maximo raro hominum genere judicare debemus, et pæne divino[a].

Ex. XXXI. Vol. II. P. 171.

Ad ea perficienda opera, C. Trebonius magnam jumentorum atque hominum multitudinem ex omni provincia vocat[b]; vimina materiamque comportari[c] jubet. Sed tanti erant antiquitus in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaque multitudo tormentorum, ut eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent. Asseres enim pedum duodecim[d] cuspidibus præfixi, atque hi maximis balistis missi, per quatuor ordines cratium[e] in terra defigebantur. Itaque pedalibus lignis conjunctis, inter se porticus integebantur, atque hac agger proferebatur. Antecedebat testudo pedum sexaginta, æquandi loci causa[f], facta ex fortissimis lignis, involuta omnibus rebus, quibus

---

[a] Ad naturam divinam propemodum accedere.

[b] Arcessit. Contrahit.

[c] Ut convehantur, imperat. Convehi—comportari imperat. (*Tac. Suet. Curt.*)

[d] Pedes duodecim longi.

[e] Penetrantes—Ordinibus penetratis. *Vell. Pat.*

[f] Ad locum æquandum.

ignis jactus, et lapides defendi possent. Sed magnitudo operum, altitudo muri atque turrium, multitudo tormentorum omnem administrationem tardabat. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe navium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Massiliensibusque subsidio missus, freto Siciliæ, imprudente atque inopinante Curione, pervehitur; adpulsusque Messanam navibus, atque inde propter repentinum terrorem principum et senatus fugâ factâ, ex navalibus eorum unam deducit. Hac adjuncta ad cæteras naves, cursum Massiliam versus perficit; præmissaque clam ad id navicula, Domitium Massiliensesque de suo adventu certiores facit.

Ex. XXXII. Vol. II. P. 174.

Tarquinio cum gente sua Româ exactis[a] Brutus et Collatinus consules facti sunt. Brutus, uti Romanis libertatis auctor fuerat, ita ejus erat acerrimus custos. Erant, eo tempore, in Romana juventute adolescentes nonnulli, quorum libido, Tarquinio regnante, fuerat solutior, more regio vivere assueti. Hi, pristinam vitæ licentiam

---

[a] Exacto. Expulso.

desiderantes, nefarium consilium inierunt, de Tarquiniis clam nocte in urbem recipiendis. Bruti Titus et Tiberius filii, se proditoribus socios conjunxerunt. Cum conjurati, remotis, uti putabant, arbitris, de consilio inito [a] deliberarent, unus e servis sermonem excepit; et literæ, quas ad Tarquinios scripserant, apud eos deprehensæ, rem coarguerunt. Proditores statim in carcerem conjecti, et deinde securi percussi sunt.

Ex. XXXIII. Vol. II. P. 206.

"Diis gratias ago," inquit Marcellus, "quòd victor hostis, in munitiones vobis cum tanto pavore incidentibus, nos in castris haud est aggressus. Si ita fecisset, non possum non credere, quin eodem terrore deseruissetis castra, quo acie excessistis [b]. Num oblivio animos cepit [c], qui sitis, et quibuscum contendatis? Iidem sunt hi hostes, quos priore æstate toties vicistis, et estis perse-

---

[a] Suscepto.

[b] Mihi haud dubium est, vos omnes castra fuisse deserturos eodem terrore, quo acie excessistis—Mihi haud credibile est, quin . . . . . deseruissetis.

[c] Num in oblivionem venistis? *Cic.* Num vobis in oblivionem venit? *Id.* An obliti estis? Anne oblivio vos cepit?

cuti, quos levibus præliis fatigâstis, quos nec iter facere, nec castra ponere, passi estis. Anne copiæ vobis imminutæ sunt, an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus; corpora tantum atque arma eadem sunt. Si eosdem animos habuissetis [a], terga vestra vidisset hostis? Signa alicui manipulo aut cohorti abstulisset? Adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur; vos illi hodierno die primum fugati exercitus nostri dedistis decus." Postridie in aciem eduxit, et victoriam præclaram sunt adepti [b].

Ex. XXXIV. Vol. II. P. 208.

Cicero Gallo salutem dicit. Quod epistolam conscissam doles, noli laborare [c]; salva est domi; petes, cum libebit. Quod autem me mones, valde gratum est; idque ut semper facias, rogo [d]. Videris mihi vereri [e], ne, si istum ha-

---

[a] Si vobis iidem animi fuissent, anne vos in fugam verti —versos—vidisset?

[b] Pepererunt.

[c] Ne molestia afficiaris.

[d] Monitiones tuæ mihi sunt pergratæ, atque monere ne desinas, rogo.

[e] Vereris, uti videtur.

buerimus, rideamus risum Sardonicum. Sed heus tu, manum de tabula[a]. Magister adest citius, quam putâramus. Vereor, ne in Catonium Catoninos[b]. Cave putes quidquam melius, quam epistolæ tuæ partem ab eo loco, "Cætera labuntur." Secreto hoc audi[c]; tecum habeto; ne Apellæ quidem liberto tuo, dixeris. Præter duo nos, loquitur isto modo nemo[d]; bene, malene, videro; sed quicquid est, nostrum est. Urge igitur; nec transversum unguem a stylo[e]; is enim est dicendi opifex. Atque equidem aliquantum jam etiam noctis assumo. Vale.

Ex. XXXV. Vol. II. P. 212.

Tertio die certior factus est, Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum contendere, triduique viam a suis finibus jam processisse[f]. Ne oppido potiretur, magnopere sibi præcavendum Cæsar existimabat; namque

---

[a] Subauditur *tolle* vel *tollas*.

[b] Subauditur *mittat*, vel *demittat*.

[c] In aurem tibi dico.

[d] Nisi nos duo, nemo his verbis utitur—has voces usurpat.

[e] Subauditur *discede*.

[f] Progressum esse.

haud solum omnium rerum, quæ ad bellum usui erant, summa erat in eo facultas, sed id adeo naturâ loci muniebatur, ut magnam ad ducendum[a] bellum daret facultatem. Flumen enim Dubis, quasi circino circumductum, pæne totum oppidum cingit, et reliquum spatium mons continet magna altitudine, ita ut radices ripas fluminis contingant. Hunc murus circumdatus arcem efficit, et cum oppido conjungit. Huc Cæsar continenter nocturnis diurnisque itineribus contendit, locoque occupato, firmum præsidium ibi collocavit.

Ex. XXXVI. Vol. II. P. 218.

Fertur, Scipionem, cum Hannibale colloquentem[b], eum rogasse quem fuisse maximum imperatorem existimaret, et hunc respondisse, Alexandrum Macedonum regem, quòd parva manu maximos exercitus fudisset, regionesque longe remotas, quas visere supra spem humanam

---

[a] Trahendum — Tractandum. *Raro. Vid. Tac. Ann.* VI. 44.

[b] Sermonem habentem, ex eo quæsivisse, quem maximum imperatorem existimaret. Arbitraretur. Quisnam maximus fuisse imperator ei videretur. Quem pro imperatore maximo—imperatorem maximum—haberet. Quem suo judicio imperatorem summum duceret.

esset[a], peragrasset. "Quem secundum ponis?" inquit Scipio. "Pyrrhum," respondit alter; "ille enim primus castra metari docuit, et eam artem sibi homines conciliandi habuit, ut Italicæ gentes ei, tametsi externo, quàm populo Romano, parere mallent." "Quem tertium ducis?" inquit Scipio. "Meipsum," respondit Pœnus. Scipio, cui risus ad hoc responsum obortus est, deinde quæsivit, "Quidnam diceres, si me vicisses?" "Tum vero," inquit Hannibal, "et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum, et ante omnes alios imperatores, me posuissem." [b]

Ex. XXXVII. Vol. II. P. 220.

Androgeo in Attica fraude interempto, Minos, rex Cretæ, omnia belli mala Atheniensibus inferebat, iraque divina regionem vastabat[c]. Fames et pestis in eos simul incumbebant[d], atque exsiccabantur flumina. Hisce in rebus Apollo eos monuit, ut Minoa placarent; quare Deorum iræ finem, et malorum requiem esse futuram. Itaque oratoribus missis, et reconciliatione petita,

---

[a] Spem humanam superaret.

[b] Alexandro, et Pyrrho, omnibusque aliis imperatoribus me anteposuissem.

[c] Vastam reddebat. [d] Eos, *vel,* in eos, invaserunt.

pepigerunt[a], ut, nono quoque anno, septem impuberes adolescentes totidemque virgines Minoi tributum[b] mitterent. Hos in Cretam deportatos fabula fert a Minotauro in Labyrintho peremptos esse, vel ultro citroque[c] vagantes, et exitum invenire nescientes, fame periisse.

Ex. XXXVIII. Vol. II. P. 222.

Ubi tempus tertii tributi adfuit, et eos parentes, quibus filii erant impuberes, ad sortem tradere oportebat, querelæ et murmura rursus in populo recruduerunt indignante, eum, qui totius rei auctor esset, pœnæ in societatem haud venire[d]. Hæc civitatis murmura Thesei ad aures pervenerunt, eumque graviter angebant[e]. Fortunæ igitur civium partem ferre statuit, ideoque sese extra sortem dedidit. Ejus animi magnitudinem totus populus admiratus summis laudibus efferebat. Ægeus, ut incepto absisteret

---

[a] Pacti sunt. Pacto convenit.

[b] Pro tributo.

[c] Huc illuc—Sursum deorsum.

[d] In pœna participem haud fieri. Quod pœnæ partem haud subiret, qui totius rei auctor fuisset. Quod pœnæ particeps non esset. Eum, qui totius rei causa fuisset, pœnam haud participare.

[e] Acriter pungebant—mordebant—urebant. *Ter. Flor.*

nequicquam obtestatus, et eum immotum[a] esse videns, pueros cæteros sortitus est[b]. Facta sortitione, Theseus eos omnes, quorum sortes exierant, secum duxit, et in Cretam vela dedit.

Ex. XXXIX. Vol. II. P. 230.

Eò cum appulsus esset[c], ferunt plerique historici, Ariadnen, ejus amore captam, lini glomum dedisse, eumque ab ea, quomodo per hunc ambagibus labyrinthi sese expediret[d], edoctum, Minotauro necem intulisse. Ubi domum cum Ariadne et adolescentibus redibat, et littori Attico appropinquabant, velum candidum, quod Ægeo salutem eorum significaret, ut tollerent, memoria excidit[e]. Ægeus itaque, ad desperationem redactus, a scopulo, cui insidebat, sese præcipitavit, et solo illisus disperiit. Theseus regni potitus; paucis autem post annis ab inimicis solio depulsus, ad Lycomedem Syrorum regem profu-

---

[a] Obstinatum. [b] In sortem conjecit.

[c] Sese appulisset, *vel asbolutè* appulisset. (*Probæ sunt hæ locutiones ; sed minus usitatæ.*)

[d] Sese extricare—exsolvere,—evolvere posset.

[e] Ut tollerent, memoriam fugit. Tollere obliti sunt.

git, qui, ut Menestheo gratum faceret[a], Theseum interemit.

Ex. XL. Vol. II. P. 234.

Zeno Eleates patriam, in qua frui secura libertate poterat, reliquisse[b] fertur, et Agrigentum tunc temporis miserabili servitute obrutum petiisse, sperans se Phalari (Phalaridi) vesanæ mentis feritatem diripere posse[c]. Postquam autem apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilii salubritatem, valere animadvertit, nobilissimum quemque civitatis adolescentem cupiditate liberandæ patriæ inflammavit. Tyrannus, hac re cognita, et convocato in forum populo, eum gravissimo cruciatu torquere cœpit[d], identidem quærens, quinam essent consilii participes. Zeno quemque tyranno amicissimum

---

[a] Ut Menestheum sibi officio devinciret—obligaret. Qui de Menestheo ut bene mereretur. Ut a Menestheo—apud Menestheum—gratiam iniret.

[b] Patriâ excessisse.

[c] Sperans, fore ut—posset. Sperans se Phalaridis animum ab immanitate ad mansuetudinem posse traducere. *Cic.* Phalaridis corde feritatem posse expellere. *Cic.*

[d] Cruciatibus gravissimis afficere cœpit.

nominavit, et Agrigentinis timiditatem exprobrans [a], adeo eos commovit, ut subito mentis impulsu Phalarim (Phalaridem) lapidibus obruerent [b]. Optimus quisque tyrannidem odit [c], et Zenonis fortitudo totius urbis fortunam mutavit.

Ex. XLI. Vol. II. P. 244.

Postquam sensit Consul hæc fremere milites, concione advocata, ita eos allocutus est:—"Quemadmodum, milites, res nostra in Algido gesta sit, audivistis. Ibi talis fuit exercitus, qualem liberi populi esse decuit. Quod ad me attinet, id consilii animique habiturus sum [d], quod

---

[a] *Fere idem valet* Agrigentinos de ignavia *objurgans.*

[b] Prosternerent. *V. Max.*

[c] Tyrannidem nemo non odit optimus. Optimo cuique,—apud optimum quemque—tyrannis in odio est—odio est. Tyrannidis optimus quisque odium habet. *Cic.* Tyrannidem optimus quisque odio habet. (*Plaut. bis.*) Hæc dictio, etsi hodiernis usitata, nuspiam, credo, occurrit in Cicerone, Livio, vel Cæsare. Doctiores viderint. Utuntur poëtæ. Cicero scribit, *Odium habere in aliquem. Odium habere alicujus rei.*

[d] Mihi erit id consilii animique.—Quod vos feceritis, in eo mihi consilium animusque vertentur. Uti vosmet gesseritis, ita consilium mihi animumque suscipiam. Hîc, in editione secunda, nescio qua oscitantia, a sensu omnino discessum est, et quod parum intelligi poterat, scriptum.

vos mihi effeceritis. Trahi [a] bellum salubriter, et maturè perfici, potest. Si trahendum est, ego, ut indies spes virtusque vestra crescat, eâdem, quâ institui, disciplinâ efficiam. Si jam satis animi est, et decerni placet, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hîc indicem voluntatis virtutisque vestræ." Clamore sublato eos docuit, sese postero die in aciem deducturum. Vicerunt, et senatus supplicationem [b] decrevit.

Ex. XLII. Vol. II. P. 251.

M. Cicero D. Bruto salutem dicit. Tres uno die a te accepi epistolas, unam brevem, quam Volumnio dederas, duas pleniores, quarum alteram Tabellarius Vibuli attulit; alteram ad me [c] misit Lupus. Ex tuis litteris, et ex Græceii oratione, non modò restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur. Non dubito quin perspicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius [d], omnia tua præclara in rempublicam merita

---

[a] Duci.

[b] Supplicium. *Vid. Sall. B. J. cap.* 59. et alibi. *Vid. etiam Havercamp. in Sallust. B. C. cap.* 9.

[c] Mihi.

[d] Si quid roboris ceperit Antonius. *Plin.*

ad nihilum esse ventura[a]. Romam est nunciatum, et omnibus quidem est persuasum, fracto animo fugisse Antonium. Nonnulli queruntur, quod non persecuti sitis; et opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset[b], existimant. Is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. Vale.

Ex. XLIII. Vol. II. P. 256.

Lucius Petronius humili loco natus, P. Cœlii beneficio ad equestrem ordinem pervenerat[c]. Placentiâ, cui Cœlius ab Octavio præpositus erat[d], a Cinnano exercitu captâ, Cœlius jam senior, ne in potestatem hostium veniret, ad auxilium dextræ Petronii confugit. Hic a proposito avertere conatus est, sed frustra[e]; ei tamen haud superesse statuit[f], et ambo simul morte occubuerunt[g].

Petronio jungendus est Sextus Terentius, quanquam ei pro amico suo interire non contigit.

---

[a] Esse peritura—Ad nihilum interitura.

[b] Suscepta esset. [c] Ascenderat.

[d] Cui Cœlium Octavius præfecerat.

[e] Sed nihil egit. Hic a sententia, frustra autem, deducere conatus est.

[f] Unà tamen cum eo perire decrevit.

[g] Perierunt—Interierunt. Mortem obierunt.

Brutus a Mutina fugiens, ubi ad se interficiendum ab Antonio missos equites cognovit, fere in eo erat ut caperetur [a], cum Terentius seipsum iis objecit, et se Brutum esse simulavit. Nocte obscura suffragante, dolus ei ex sententia successit. Cito tamen a Furio agnitus est; antehac autem Brutus effugerat [b].

Ex. XLIV. Vol. II. P. 258.

Collis, ubi consistebant hostes [c], erat leniter ab infimo acclivis. Hunc ex omnibus fere partibus palus difficilis atque impedita cingebat. Hic, Galli loci naturæ confisi [d], interruptis pontibus, sese continebant.—Distributi simul in stationes, vada ac saltus ejus paludis certis custodiis obtinebant [e], sic animo parati, ut, si Romani perrumpere conarentur, hæsitantes premerent ex loco superiore; ut, qui propinquitatem loci videret, paratos prope æquo Marte ad dimicandum existimaret: qui verò iniquitatem conditionis perspiceret, inani simulatione sese ostentare cog-

---

[a] Parum abfuit, quin caperetur. (*Rara hæc locutio.* Abesse *fere semper in hoc sensu impersonaliter usurpatur.*)

[b] Evaserat.

[c] Hostes erant collocati.

[d] Loci fiducia.

[e] Firmis custodiis munierant.

nosceret. Indignantes milites Cæsar, quod conspectum suum hostes ferre possent, tantulo spatio interjecto, et signum prælii exposcentes, edocet, quanto detrimento, et quot virorum fortium morte, necesse sit constare victoriam : iisque confirmans, eorum salutem sua laude sese habere[a] cariorem, exercitum in castra reducit.

Ex. XLV. Vol. II. P. 263.

Post pugnam Actiacam, quâ Antonius victus est, Cassius Parmensis, qui partes ejus secutus erat[b], Athenas confugit, et ibi hanc speciem in somnis vidisse fertur. Existimavit, ad se venire hominem ingentis magnitudinis, squalidâ barbâ, nigri coloris, et capillo demisso, interrogatumque quis esset, respondisse, Cacodæmonem. Visu perterritus experrectus est, et servos inclamavit. Ubi aderant, sciscitatus est, numquem talem intrare cubiculum, aut exire, vidissent. Iis negantibus, iterum quieti sese dedit, atque eadem animo obversata est species. Somnus nunc abiit, et Cassius vehementer perturbatus surrexit. Inter hanc noctem, et supplicium, quo eum affecit

---

[a] Sibi esse cariorem—antiquiorem—sese pluris æstimare confirmans.

[b] Qui cum eo steterat.

Cæsar, paullulum temporis intercessit. Homines superstitiosi ad credendum sunt proclives, somnia, quod sit futurum, præmonere [a], haud reputantes, prout verum est, nihil nisi animi aut corporis habitum indicare.

Ex. XLVI. Vol. II. P. 269.

Quum hæc in senatu agerentur, Canuleius, tribunus plebis, hanc orationem habuit. "Quantopere vos, Quirites, contemnerent patres, quàm indignos ducerent [b], qui unà secum intra eadem mœnia viveretis, equidem et ante videor animadvertisse: attamen nunc maximè, quum adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt. Quibus quid aliud quàm admonemus, cives nos esse eorum, et, si non easdem opes habere [c], eandem tamen patriam incolere. Alterâ connubium cum patriciis petimus, quod finitimis, imo vero externis, dari solet. Quin etiam civitatem, quæ plus quàm connubium est, hostibus quoque victis dedimus."

---

[a] Homines superstitione imbuti ad credendum sunt propensi, somnia quæ futura sint præsignificare—res futuras præmonere. *Just. Plin.*—haud intelligentes, nihil revera præterquam animi aut corporis habitûs esse indicia.

[b] Haberent.

[c] Subauditur *admonemus*.

Ex. XLVII. Vol. II. P. 273.

"Altera nihil novi ferimus; id tantummodo, quod populi est, repetimus, ut, quibus velit, populus Romanus honores mandet. Quid ergo est tandem, cur cœlum et terras misceant? cur in me impetus modo pæne in senatu sit factus? negent etiam se manibus temperaturos, violaturosque denuncient sacrosanctam potestatem? Quid? Si populo Romano liberum suffragium datur, ut, quibus velit, consulatum mandet, et non præciditur spes plebeio quoque [a], si dignus honore erit, adipiscendi summi honoris, stare urbs non poterit? De imperio actum est? An quispiam dicat, rogare, ut plebeius, idem valere [b],

---

[a] Plebeio cuique. *Cic.*

[b] Unum et idem esse, ac . . . . Eodem valere. (*Nepos.*) An quisquam dicat, rogare, ut plebeius consul fiat, perinde valere, ac uti servus vel libertinus hunc honorem assequatur. Uti servo . . . . hicce honos mandetur. *In Livio fere ita legitur*, "Perinde hoc valet, plebeius ne consul fiat, tanquam servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat?" *Lectio, uti opinor, falsa. Vox negativa* ne *omnino discordat a sentential loquentis, quæ planè vocem affirmativam exigit. Quare parum placet conjunctio dubi-*

ac ut servus vel libertinus, consul fiat? Ecquid, sentitis, in quanto contemptu vivatis?"

Ex. XLVIII. Vol. II. P. 276.

"Numquid sentitis in quanta contemptione [a] vivatis? Lucis vobis hujus partem, si liceat, adimant. Quòd spiratis, quòd vocem mittitis, quòd formas hominum habetis, indignantur: quin etiam (si Diis placet) nefas aiunt esse, consulem plebeium fieri. Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur [b], ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regum successisse? nec aut juris aut majestatis quicquam habere, quod non in regibus antè fuerit? Nunquamne creditis auditum esse, Numam Pompilium, non modò non patricium, sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum populi jussu, patribus auctoribus, Romæ regem creatum esse?"

---

tativa "Plebeius*ne* fiat." Mihi videtur legendum, "Plebeius ut consul fiat."

[a] Quantopere contempti.

[b] Si fastos, si commentarios, evolvere prohibemur. Si fastis, si commentariis, sit nobis interdictum—Si fastis . . . excludimur.

Ex. XLIX. Vol. II. P. 280.

"Nunquamne creditis nos audîsse, L. Tarquinium non Romanæ modò, sed ne Italicæ quidem stirpis, vivis etiam liberis Anci, regem factum[a]? Nunquamne ad aures nostras pervenit[b], Servium Tullium post hunc, captiva Corniculana natum, patre nullo, matre quoque servâ, ingenio et virtute regni potitum esse? Quid enim de Tito Tatio dicam, quem ipse Romulus, parens hujus urbis, in societatem regni accepit? Ergo, dum nullum fastidiebatur genus, in quo eniteret virtus, floruit crevitque imperium Romanum. Pœniteat nunc vos plebeii consulis, quum majores nostri advenas reges non fastidierint, et ne regibus quidem exactis, clausa urbs fuerit peregrinæ virtuti."

Ex. L. Vol. II. P. 285.

"Claudiam certe gentem, post reges exactos, ex Sabinis non in civitatem modò accepimus, sed

---

[a] Creatum.

[b] Audivimus—Ad aures nostras accidit. *Liv.*

etiam in patriciorum numerum. Ex peregrinone patricius, deinde consul fiat? Civis Romanus si sit ex plebe, præcisa consulatus spes erit? Utrum tandem non creditis fieri posse, ut vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus, ex plebe sit Numæ, L. Tarquinio, Servio Tullio similis[a]? Age vero, si sit, anne a reipublicæ gubernaculo eum repellemus? Et potius decemviris teterrimis mortalium, qui omnes e patribus erant, quàm optimis regum novis hominibus, similes consules sumus habituri?"

Ex. LI. Vol. II. P. 296.

"At enim nemo, post reges exactos, de plebe consul fuit. Quid postea? Nullane res nova institui debet? Multa nondum sunt facta in novo populo; et quòd nondum facta sunt, idcirco, ne si utilia[b], quidem sint, nunquam fieri oportet? Pontifices augures, Romulo regnante[c], nulli erant; a Numa Pompilio creati sunt. Census in civitate, et descriptio centuriarum classiumque, non erat; ab Servio Tullio est facta. Consules nun-

---

[a] L. Tarquinii, Ser. Tullii similis. Qui Numam, L. Tarquinium, Ser. Tullium referat.

[b] Profutura.

[c] Romulo rege.

quam fuerant; regibus exactis creati sunt. Dictatoris nec imperium, nec nomen fuerat; apud patres esse cœpit. Tribuni plebis, ædiles, quæstores, nulli erant; institutum est, ut fierent. Decemviros legibus scribendis[a] intra decem hos annos et creavimus, et e republica sustulimus."

Ex. LII. Vol. II. P. 302.

"An quispiam est, qui dubitet, quin in æternum urbe condita, in immensum crescente, nova imperia, nova sacerdotia, nova jura instituantur. Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non Decemviri tulerunt paucis his annis, pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis? An esse ulla major aut insignitior contumelia potest, quàm partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quàm exsilium intra eadem mœnia, quàm relegationem, pati? Ne affinitatibus, ne sanguine immisceamur, metuunt. Tantum non dicunt, nomine Romano nos esse indignos. Quid?

---

[a] Ad leges scribendas. *Hæc formula apud Ciceronem, Cæsarem, et Livium ipsum, etis hic aliter scribit, est permulto usitatior. Tacitus sæpissime per dativum denotat propositum; itemque scriptores alii argenteæ ætatis.*

hoc si polluit[a] nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis et Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in Patres habetis, aut ab regibus lecti, aut jussu populi[b], sinceram[c] servare privatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororesque enubere sinendo e Patribus ?"

Ex. LIII. Vol. II. P. 320.

"Nemo plebeius patriciæ virgini vim afferret; patriciorum ista libido est. Nemo nostrûm invitum pactionem nuptialem quenquam facere coegisset. Verum enimvero lege id prohiberi, et connubium tolli Patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est. Cur enim non confertis, ne sit connubium divitibus ac pauperibus ? Quod privatorum consiliorum semper et ubique fuit, ut in quam cuique fœminæ convenisset domum, nuberet, ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret, id vos sub legis superbissimæ vin-

---

[a] Contaminat—Inquinat.

[b] Populo jubente.

[c] Puram. *Cic.* Incorruptam. *Cic.* Incontaminatam. *Liv.* Intemeratam. *Tac.* (*Hæc vox poëtarum fere propria.*)

cula conjecistis[a], quâ, uti videtur, dirimatis societatem civilem, duasque ex una civitate faciatis.

Ex. LIV. Vol. II. P. 324.

"Cur non sancitis, ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat[b]? ne idem convivium ineat? ne in eodem foro consistat? Quid enim in re est aliud, si plebeiam patricius duxeris, si patriciam plebeius? Quid juris tandem mutatur? Nempe patrem sequuntur liberi, sive patricii, sive plebeii. Denique satis constat[c], quod nos ex connubio vestro petamus, nil quicquam esse, præterquam, ut hominum, ut civium numero simus[d]; nec vos altera ex parte, nisi in contumeliam ignominiamque nostram certare juvat, quòd contendatis, quicquam est."

Ex. LV. Vol. II. P. 333.

"Postremo, utrum populi Romani, an vestrum, summum imperium est? Regibus exactis, utrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas, parta est? Oportet licere populo Romano, si velit, jubere legem. An, ut quæque rogatio promulgata erit, vos delectum pro pœna decernetis?

---

[a] Id vos lege superbissima obstrinxistis.

[b] Ne eâdem viâ iter faciat.

[c] Sat patet.

[d] Habeamur.

Et simul ego[a] tribunus jure auctoritatis meæ[b] vocare tribus in suffragium cœpero, tu statim consul sacramento juniores adiges, et in castra educes? Minaberis plebi, minaberis tribuno? Quantum istæ minæ adversus plebis consensum valerent, nonne bis jam experti estis? Scilicet, quia nobis consultum volebatis, certamine abstinuistis; an ideo non est dimicatum, quod, quæ pars firmior, eadem modestior fuit?"

Ex. LVI. Vol. II. P. 339.

"Nec nunc erit certamen, Quirites; animos vestros illi tentabunt, vires non experientur. Quid plura? Si, Consules, connubiis, redditis, unam hanc civitatem tandem facitis, si plebs coalescere, si jungi potest miscerique vobis privatis necessitudinibus, si aditus ad honores viris strenuis et fortibus datur, si, quod æquæ libertatis est, invicem annuis magistratibus parere atque imperitare licet, tum, Consules, ad bella ista, seu falsa seu vera sunt, parata est plebs vos comitari. At, si hæc impediet aliquis, ferte sermonibus, et multiplicate famâ bella, nemo est nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata connubii, societas est."

---

[a] Simul atque.

[b] Ex auctoritate Tribunicia.

Ex. LVII. Vol. II. P. 342.

Grata tibi mea esse officia non miror[a]; cognovi enim te gratissimum omnium; idque nunquam destiti prædicare[b]. Nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime retulisti[c]. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, et eadem voluntate, cognosces[d]. Quod mihi feminam primariam uxorem tuam commendas, cum Sura nostro statim, tuis literis lectis, locutus sum[e], ut ei meis verbis diceret, ut quicquid opus esset, mihi denunciaret; me omnia, quæ ea vellet, summo studio curaque facturum: itaque faciam, eamque, si opus esse videatur, ipse conveniam. Tu tamen[f] ei velim scribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam parvam putet, quæ

---

[a] Mihi nequaquam est mirum.

[b] Te enim supra omnes grato animo esse præditum, mihi compertum est, semperque prædicavi—declaravi.

[c] Reddidisti.

[d] Quam ob causam, quodcunque posthac tua intererit, pari studio, eademque voluntate, in eo tibi operam dabo.

[e] Nostrum Suram jussi meis verbis eam certiorem facere, si qualibet in re mea opera egeret, me spem habere, eam me esse docturam.

[f] Attamen velim, ut literis tute eam roges.

mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia, quæ in tuis rebus agam, et non laboriosa mihi, et honesta videbuntur. De Dionysio [a], si me amas, confice; quamcunque ei fidem dederis, præstabo. Si vero improbus fuerit, ut est, duces eum (captivum) in triumpho. Dalmatiis dii male faciant, qui tibi molesti sunt. Sed, ut scribis, brevi capientur, et illustrabunt res tuas gestas. Semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

Ex. LVIII. Vol. II. P. 345.

Cum Solon Miletum petiisset philosophum Thaletem invisurus, et apud eum hospitio exciperetur, mirum sibi videri dixit, quod Thales matrimonium et liberorum procreationem negligeret [b]. Thales tum nihil respondit; paucis autem post diebus peregrinum quendam subornavit, qui diceret, se modò Athenis rediisse, unde decem ante diebus esset profectus. Solon quid

---

[a] Quod ad Dionysium attinet.

Nota—*Ducere in triumphum* et *ducere in triumpho,* ut opinor, ita differunt. Illud dictum est generaliter, et significat Anglice, "To lead in triumph;" hoc specialiter usurpatum, Anglice significans, "To lead in the triumph," quasi, in quodam triumpho spectaculi partem.

[b] Matrimonii et sobolis negligens esset.

novi Athenis esset, quæsivit. Peregrinus, quid narraret edoctus [a], respondit; "Nihil, nisi quòd efferebatur adolescens, cujus prosequebatur funus tota civitas: nam filius erat, uti ferebatur, viri sapientia et virtute clari, tunc temporis [b] peregrinantis [c]." "O quàm miserum hominem," inquit Solon, "sed quid fuit nomen?" "Audivi," respondit peregrinus, "at memoria excidit [d]; tantummodo memini, multum sermonis habitum de sapientia ejus, atque justitia." Solon, cujus metus ad quodque responsum accrescerent, nunc graviter commotus, sciscitatus est, num esset Solon. "Imo," respondit peregrinus. Philosophus tum caput cædere, aliaque et dicere et facere, quæ assolent mœrore lacerati [e]. Thales subridens et manum ejus prehendens, "Hæc" inquit, "quæ Solonem tam firmum prosternunt [f], me a matrimonio deterruerunt. Attamen ne te afflictes; quod audîsti falsum est: filius tibi vivit."

---

[a] Instructus—subornatus. *Justin.*

[b] Eo tempore. Id temporis.

[c] Nihil esse, respondit peregrinus, nisi quòd efferretur adolescens, cujus prosequeretur funus tota civitas; ferebatur enim, filium esse viri sapientiâ et virtute insignis, qui tunc peregre esset.

[d] Memoriam fugit.

[e] Dolore perculsi.

[f] Affligunt. Percellunt.

Ex. LIX. Vol. II. P. 350.

Cum Alexander urbem Sidona in deditionem accepisset, Strato, qui ibi regnabat, victori pluribus de causis videbatur indignus, qui diutius principatum obtineret. Hephæstioni itaque permissum est, ut regem nominaret, quemcunque e Sidoniis eo fastigio dignissimum arbitraretur[a]. Erant Hephæstioni pauci hospites, clari inter suos, juvenes, quibus deinceps[b] regnum obtulit; omnes autem accipere noluerunt[c]. Admiratus magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent, "Macti virtute," inquit, "estote vos, qui primi intellexistis, quanto majus esset spernere, quam regnum accipere; sed date[d] mihi aliquem regiæ stirpis, qui meminerit, de vobis acceptum habere se regnum." Abdalonymum quendam igitur dixerunt, longa quidem cognatione stirpi regiæ adnexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exiguâ colentem mercede. Hîc

---

[a] Judicaret—Haberet—Duceret. Existimaret.

[b] Alii post alium.

[c] Recusârunt—Accipere recusârunt—Accipere abnuerunt.

[d] Cedite autem—Cedo. *Vid. Cic. de Senect. cap.* 20. *et Cic. pro Sext.*

eum invenerunt noxias herbas exstirpantem; diurno operi[a] intentus strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat.

Ex. LX. Vol. II. P. 356.

Regem salutatum[b] unus ex iis ita allocutus est:—"Habitus hic, quem cernis in meis manibus, cum tuis vestibus squalidis est tibi permutandus. Ablue corpus sordibus denigratum; cape regis animum; et in eam fortunam, ad quam provectus es, quaque te dignum præstitisti[c], fac ut temperantiam et moderationem proferas. Porro autem, cum in regali solio residebis, vitæ necisque omnium tuorum dominus, cave obliviscaris statûs, in quo regnum accipis." Abdalonymo tota res primò similis somnio videbatur, et percontatus est, num satis sani essent, qui tam protervè sibi[d] illuderent. His se seriò agere jurantibus, fides ei facta est, et corpore abluto, novam vestem induit, iisque comitantibus ad regem processit. Hic aliquandiu eum contemplatus, "Habitus," inquit, "corporis famæ tui generis haud repugnat; scire autem li-

---

[a] In diurno opere. *Cæs.* Diurno opere. *Sall.* Ad opus diurnum. *Cic. Liv. Tac.* In opus. *Liv.* Operi. *Liv.*

[b] Cum eum salutâssent regem.

[c] Præbuisti. [d] Sese. In sese.

bet[a] an tuam inopiam patienter tuleris." "Utinam," respondit alter, "eodem animo regnum pati possim. Hæ manus suffecere desiderio meo; nihil habenti nihil defuit." Generosæ indolis specimen ex hoc responso cepit Alexander[b]; hic itaque non solum totam supellectilem regiam ei dedit, sed regionem urbi adpositam ditioni ejus adjecit.

Ex. LXI. Vol. II. P. 361.

Tarentini, bellum contra Romanos gerentes, et armis impares, a Pyrrho Epiri rege auxilium petere, eumque exercitibus suis præponere[c], decreverunt. Legatos itaque miserunt, qui eum certiorem facerent[d], sibi opus esse duce perito celebrique, seque copias, ad viginti millia equitum, et centum et quinquaginta millia peditum, esse suppeditaturos. Hæc promissio Pyrrhum oblectavit, et Epirotis magnam cupiditatem belli societatem faciendi injecit. Tunc temporis in regia Pyrrhi fuit[e] quidam Thessalus, nomine

---

[a] Scire autem velim.

[b] Hoc responsum Alexandro generosæ ejus naturæ voluntatisque fuit indicio—fuit argumento—indicium dedit; qui igitur . . . . addidit.

[c] Præficere.

[d] Docerent—Ei nunciarent.

[e] Apud Pyrrhum erat. In aula.

Cineas, vir prudens, et qui Demosthenis auditor fuerat[a]. Hic sese Pyrrho devoverat, et in omnibus legationibus, in quibus fuerat versatus[b], dictum Euripidis confirmavit, " Portas, quas ferrum penetrabit, eloquentia ingredietur." [c] Hinc Pyrrhus dictitabat, Cineam plures urbes oratione, quàm sese armis, sibi comparasse. Cineas jam animadvertens, Pyrrhum contra Romanos bellum decrevisse, occasionem, ut eum otiari sensit, hujus sermonis inferendi [d] captavit.

Ex. LXII. Vol. II. P. 367.

" Romani," inquit Cineas, " uti fama feruntur, sunt homines bellicosissimi : si Dii voluerint[e], ut nos eos superemus, quorsum victoria utemur ? " " Cinea," respondit rex, " rem planam quæris. Romanis subactis, nullum erit oppidum, seu Græcum seu Barbarum, quod nobis resistere audeat ;

---

[a] Discipulus—Demostheni operam dederat.

[b] Occupatus.

[c] Portas, quas ferrum penetrare queat, eloquentiam intrare posse.

[d] Instituendi—Occasione oblata, eum otiosum nactus, hujuscemodi sermones intulit.

[e] Volent. Diis videbitur. Visum erit. (Diis placet *fere semper est locutio deridentis vel indignantis.*)

extemplo totius Italiæ potiemur." Cineas, postquam paulisper tacuerat[a], ita perrexit. "Italiâ domitâ, quid deinde agemus?" Pyrrhus, quorsum ille spectaret[b], nondum perspiciens, respondit, "Proxima est Sicilia; et ad nos recipiendos manus porrigit, insula dives captuque facilis[c]. "Verisimile admodum narras," respondit Cineas, "Sed anne Sicilia occupata expeditioni finem factura est?" "Longe aliter," inquit Pyrrhus; "nam victoria, si Dii nobis concesserint, nil nisi principium erit majorum rerum; deinceps enim potiar Carthagine, Libya, totaque Græcia."[d] "Et cum omnes has gentes devicerimus, quid deinde sumus facturi?" "Tum vero, mi amice," inquit Pyrrhus, "requiescemus, comedemus, compotabimus, et jucunditati nosmet dedemus."[e] Hucusque cum Cineas eum deduxisset, respondit, "Et quid nunc obstat, quo minus comedamus, compotemus, et otio fruamur? Jam in manu sunt

---

[a] Sermone paulisper omisso, ad propositum rediit.

[b] Quò tenderet. Quorsum iret, *vel* Quò evaderet; *sed dictio postrema spectat magis ad finem, quàm ad progressum.*

[c] Atque ad capiendum facilis. Quæ nullo negotio capiatur.

[d] Carthaginem, Libyam, totamque Græciam meam in potestatem redigam.—In ditionem.

[e] In lætitia vitam degemus.

ea, quæ per labores innumeros, et pericula, per clades infinitas, quas et pati et inferre necesse erit, sumus petituri."[a] Hæc verba erant Pyrrho nonnihil molesta[b], minime autem a proposito averterunt[c]. Nesciebat, qualis esset humanus animus, nec quantulum conferret hominis ad felicitatem latum imperium[d].

Ex. LXIII. Vol. II. P. 382.

Pyrrhus itaque in aciem processit, et Romanos ad Heracleam superavit. Prælio peracto, Fabricius, qui de redimendis et captivis commutandis ageret[e], legatus missus est. Pyrrhus, a Cinea certior factus, Fabricium esse virum integritate vitæ incorruptum, pauperrimum[f] autem, ei aurum obtulit, et pro hospitii pignore ut acciperet,

---

[a] Assequi volumus.

[b] Pyrrhum nonnihil perturbârunt.

[c] A consilio—a mente—deduxerunt. Animum deflexerunt—commutârunt. (*Vid. Cic. de Orat. lib.* 2.)

[d] Lata dominatio.

[e] Fabricius de redimendis captivisque commutandis agendi causâ, legatus missus est.

[f] (*Nota.*) Egenus *est, cui desunt res ad vitam necessariæ;* pauper, *cui vix sufficiunt.*

oravit. Fabricio donum detrectanti[a] Pyrrhus longius instare nolebat; intelligens autem, nunquam ab eo visum esse elephantem, rationem iniit, quemadmodum proximo die eum perterreret[b]. Quamobrem elephantem, quem maximum haberet[c], ornari, et post aulæum in conclavi, in quo sermonem erant habituri, statui jussit. Hoc itaque factum est, et signo dato, aulæum retractum; elephasque, supra caput Fabricii proboscidem attollens, vocem emisit horrendam et asperam. Fabricius nequaquam perturbatus sese convertit, et subridens, Pyrrho dixit; "Nec aurum tuum heri, nec bellua hodie, me commovit." Captivi deinde sine pretio sunt redditi, et Pyrrhus, post aliam pugnam, e qua victor decessit, in Siciliam trajecit, et haud multo post totâ insulâ potitus est[d]. Quanto melius cum humano genere ageretur, tum etiam ipsis imperii cupidis, si voci poëtæ diligenter animum attenderent.

---

[a] Recusanti—Accipere abnuenti—Fabricium donum recusantem Pyrrhus urgere nolebat. Quum Fabricius donum accipere recusaret.

[b] Quomodo eum exterreret, quæ res proximo die perficeretur, excogitavit.

[c] Qui maximus sibi esset.

[d] Totam insulam in potestatem suam redegit.

Ex. LXIV. Vol. II. P. 387.

Jam ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus suis fuit, quæ mihi vobiscum est[a]. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat[b]; nec ulla re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit[c], quam judicio. Primus enim coluit orationem[d], primus et verbis delectum adhibuit, et compositioni artem[e]; locos quoque lætiores attentavit, et quasdam sententias invenit: utique in his orationibus, quas senior jam et juxta finem vitæ composuit[f], id est, postquam magis profecerat[g], usuque et experimentis didicerat, quod optimum genus dicendi est. Nam priores ejus orationes

---

[a] Qui eadem de re cum æqualibus suis præliatus est, de qua ego vobiscum. Cui eadem contentio fuit.

[b] Potiorem habuit.

[c] Præcellebat. Nec ulla in re ejusdem temporis oratoribus major erat.

[d] Orationem polivit.

[e] Primus verborum delectui animum adhibuit—adjunxit. In verborum delectu curam posuit. In verba deligenda operam dedit. Ad verba, vel, in verbis, delectum adhibuit.

[f] Ad extremam prope vitam.

[g] Majorem progressum fecerat.

non carent vitiis antiquitatis; lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte, et cum quodam lumine, terminantur; nihil excerpere, nihil referre possis; et veluti in rudi ædificio, firmus sane paries, et duraturus, sed non satis expolitus, et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem et lautum patrem familiæ, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat [a], sed etiam quod visum et oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quæ necessariis usibus [b], sufficiat, sed sit in apparatu ejus et aurum et gemmæ, ut sumere in manus, et aspicere sæpius libeat; quædam vero pocul arceantur [c], ut jam obliterata et olentia; nullum sit verbum velut rubigine infectum; nulli sensus tarda et inerti structura, in morem annalium, componantur; fugiat fœdam et insulsam scurrilitatem; variet compositionem; nec omnes clausulas uno et eodem modo terminet [d].

---

[a] Defendat.

[b] Ad necessarios usus.

[c] Amoveantur.

[d] Compositionem, itemque clausularum variet finem.

Ex. LXV. Vol. II. P. 392.

Euathlus, adolescens dives, eloquentiæ discendæ, causarumque orandi[a] cupiens, in disciplinam[b] Protagoræ, sui temporis sophistarum acerrimo, sese dedit. Adolescens, quantamcunque mercedem magister posceret, daturum promisit, dimidiumque ejus dedit[c], jam statim priusquam disceret; simulque pepigit, ut reliquum daret, quo primo die causam apud judices orasset, et vicisset. Postea, quum Protagoræ auditor aliquandiu fuisset, et in studio facundiæ multum promovisset[d], causas tamen non reciperet, Protagoræ succurrit[e], discipulum suum ita facere,

---

[a] Ita scribit A. Gellius, quâ constructione nonnunquam utitur item Cicero, cum pluribus aliis, tum aureæ ætatis, tum etiam pejoris ævi, si nomen sit pluralis numeri. Altera tamen dictio est usitatior, et interdum reperitur formula *Causarum orandarum*, e. g. "Corrumpendarum tabularum publicarum." *Cic. Agr.* Causasque orandi cupidus—Eloquentiam discere, causasque orare cupiens.

[b] Protagoræ erudiendum sese commisit.

[c] Pependit—solvit.

[d] Profecisset—magnum progressum fecisset. *Promovere* raro usurpatur intransitivè.

[e] Occurrit—in mentem venit—animum subiit cogitatio—mentem subiit.

ne reliquum mercedis daret[a]. In Euathlum itaque litem intendit[b]; et quum ad judices conjiciendæ consistendæque causæ gratiâ venissent, Protagoras sic exorsus est[c]. "Disce," inquit, "stultissime adolescens, utroque id modo fore, ut te reddere oporteat quod peto, sive contra te pronunciatum erit, sive pro te. Nam, si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero; sin vero secundum te judicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris." Ad ea respondit Euathlus. "Potui," inquit, "huic tuæ ancipiti captioni isse[d] obviam, si verba ipse non facerem, atque alio patrono uterer; sed majus mihi prolubium erit[e], quum non in causa tantum, sed in argumento quoque, te vinco. Disce, igitur, magister sapientissime, utroque modo fore, uti reddere non oporteat, quod petis, sive contra me pronunciatum erit, sive pro me. Nam, si judices pro mea causa senserint, nihil tibi ex sententia debebitur,

---

[a] Ut mercede reliqua liberaretur—reliqua mercede excusaretur. (*Ulp.*)

[b] Euathlum in jus vocavit.

[c] Argumentari cœpit.

[d] Obviam ire.

[e] Major mihi erit voluptas—magis vero me delectabit—magis autem mihi gratum erit—mihi placebit.

quia ego vicero; si contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero." Judices, inexplicabile esse, quod utrinque diceba-tur [a], rati, et ne sententia sua, utramcunque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet [b], veriti, rem injudicatam reliquerunt, causamque in diem longissimam distulerunt.

Ex. LXVI. Vol. II. P. 401.

Alexander eos familiariùs [c] amplexus considere jussit, et his verbis allocutus est:—"Vobis equidem, O fidissimi maximeque pii cives atque amici, gratias ago habeoque, non solum quòd hodie principis salutem vestræ præponitis, sed quòd, nullis in rebus, erga me amicitiæ singularis et benevolentiæ indicium omisistis. Nunquam antehac, uti mihi confitendum est, vitam tam caram esse sensi. Nunquam antehac vitam precatus sum, ut amore vestro et voluntate frui possem. Licuit mihi, sat scitis, paternis opibus

---

[a] Utriusque argumentum.

[b] Utramcumque in partem dicta foret, ipsa sibi contraria esset. Ipsa secum haud constaret. Secum discordaret.

[c] Subauditur *solito*. (Ablativi *æquo, justo, solito* comparativo sæpissime desunt. Ex. gr. "Liberius vivebat." *Nepos*, i. e. Liberius æquo; *Anglicè*, "Too freely.")

contento, vitam in otio degere, atque obscuram ignobilemque senectutem exspectare[a]. Ego autem non annis, sed victoriis, vitam computo; et, si munera fortunæ haud perperam æstimo, satis diu vixi. Orsus a Macedonia imperium, nunc Græciam teneo. Victor non solum Asiæ, sed etiam Europæ vigesimo octavo ætatis anno, videorne vobis in excolenda gloria[b], cui me uni devovi, posse cessare? Obsecro vos, cogitate, nos pervenisse in terras, quibus fœminæ ob virtutem celeberrimum nomen est[c]. Quas urbes Semiramis condidit? Quas gentes redegit in potestatem? Res quam magnas ausa? Quanta opera molita est? Amici, nondum fœminam æquavimus gloriâ, et jam nos laudis satietas cepit? Nequaquam; Dii faveant[d], majora adhuc restant. Pericula, nobis adeunda, tam nihili duco, ut, si vos me ab intestina fraude securum præstiteritis, belli discrimen impavidus subire ve-

---

[a] Manere. *Liv. Ter.* Minus tamen usitatè, nisi apud poetas.

[b] Expetendâ.

[c] Quarum nomen virtus fœminæ præclarum reddidit—nobilitavit—honestavit. Quarum, ob virtutem fœminæ, celebratur nomen.

[d] Si dii adsint—Adjuvabunt.

lim. Philippus in acie, tutior quàm in theatro, fuit. Hostium gladios sæpenumero vitavit; domestici autem insidiatoris manum effugere non poterat. Nunc mihi succurrit rem promere[a] sæpe in animo meo agitatam, et diu vehementerque optatam. Omnium meorum laborum, omniumque discriminum, cives mei, hic mihi fructus erit dulcissimus, si Olympiadem matrem, mei memoriam pio animo servantes[b], immortalitati consecretis, quandocunque excesserit vitâ. Si Dii vitam mihi produxerint[c], hoc ipse lætus præstabo; sin autem fatum præceperit, me solenniter hoc vobis mandâsse memoria teneatis[d], vos obtestor."

Ex. LXVII. Vol. II. P. 408.

Hoc a patribus factum quum plebs indignaretur, ex urbe secessit, et in monte sacro castra posuit. Patres, quæ hinc orirentur[e], timentes,

---

[a] Memorare—Proferre. *Anglicè,* "To bring forward."

[b] Si pio animo mei memores.

[c] Protraxerint. Si vita suppetet. Si vita mihi contigerit. *Cic.*

[d] Memineritis.

[e] Quæ hinc evenirent. Quod eventum foret.

si bello externo essent lacessiti, Menenium Agrippam, ut, si fieri posset, eam civitati reconciliaret, miserunt. Ille, intromissus in castra, nihil aliud argumenti ad iis reditum persuadendum[a], nisi hanc fabellam, protulisse fertur. "Tempore, quo membra humani corporis non, ut nunc, communi voluntati parebant, singulis autem suum cuique consilium, suus sermo, erat, indignatæ sunt reliquæ partes, sese tantum curæ tantumque laboris ventris causâ subire, at hunc interea, in medio positum, nihil nisi voluptatibus ipsorum industriâ comparatis frui[b]. In eum itaque conspirârunt, ne manus ad os cibum afferrent, nec os acciperet, nec dentes conficerent. Sed, dum ventrem fame domare volebant, cito senserunt, sese reliquumque corpus ad extremam tabem festinare, nec segne nec inutile ministerium esse ventris, nec magis a partibus aliis ali, quàm eum alere, reddentem in omnes corporis partes hunc sanguinem, quo membra omnia singula vigerent." Huic intestinæ membrorum discordiæ plebis secessionem similem esse indicando, Agrippa eorum

---

[a] Quo iis reditum persuaderet.

[b] Dum hic, in medio positus, nihil nisi voluptatibus frueretur, ipsorum industriâ conquisitis.

iram mitigasse fertur, et in urbem ut protinus redirent, persuasisse [a].

Ex. LXVIII. Vol. II. P. 425.

Ante prœlium, quod ad Zamam factum est, Scipio et Hannibal in colloquium venerunt, ubi Pœnus ducem Romanum his verbis allocutus esse fertur.

"Quandoquidem hoc ita fato datum est, ut, qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties ultimam victoriam prope in manibus habui, is ultro ad pacem petendam venirem, lætor te mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi inter multa egregia non in minimis laudum hoc fuerit [b], Hannibalem, cui tot de Romanis ducibus victoriam Dii dedissent, tibi cessisse, teque bello, vestris prius quàm nostris cladibus insigni, finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium casûs ediderit fortuna, ut, quum patre tuo consule ceperim arma, et cum eodem primum Romano im-

---

[a] Agrippa, plebis secessionem . . . . similem esse, demonstrando—patefacto, ejus iras leniisse—mollivisse—fertur, et e vestigio—confestim,—ut in urbem rediret, perpulisse.

[b] Erit. Tua inter multa et egregia decora, non minimè hoc eminebit—elucebit—quòd Hannibal . . . . . tibi cesserit.

peratore signa contulerim, ad filium ejus inermis ad pacem petendam [a] veniam. Optimum quidem fuerat [b], eam patribus nostris mentem datam ab Diis esse, ut vos Italiæ, et nos Africæ, imperio contenti essemus. Neque enim ne vobis quidem Sicilia et Sardinia devictæ satis digna pretia sunt, pro tot classibus, tot exercitibus, tot jam egregiis ducibus amissis. Adeo cupidè aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus. Sed præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi [c]. Quod ad me attinet, nunc senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quàm fortunam, malim. Tu adhuc adolescens ; fortuna hactenus tuis consiliis adfuit [d] ; res adversas nondum expertus es. Vereor itaque, ne monita mea nihili facias [e], et adolescentiâ perpetuaque felicitate incitatus, omnes pacis con-

---

[a] Petitum. Petiturus. Pacis petendæ gratiâ.

[b] Fuisset.—Feliciter quidem evenisset, si patribus nostris eam mentem dii dedissent.

[c] Sed præterita reprehendere facilius est, quàm emendare.

[d] Est suffragata. Affulsit. *Liv.* Adhuc omnibus tuis favit inceptis. Quicquid susceperis — suscepisti — tibi prosperè cessit. Omnia incepta tibi feliciter evenerunt.

[e] Pendas.

ditiones spernas. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum, et ad Cannas, id tu hodie es. Vixdum militarem ætatem attigisti[a], cum imperium tibi delatum est. Omnia audacissimè incipientem te nunquam fefellit fortuna. Patris, et patrui persecutus es[b] mortem ; Hispanias recuperâsti; inde Carthaginiensium exercitus expulisti[c] ; consul creatus es, quum cæteris ad tutandam patriam parum animi esset. In Africam transgressus es ; duos exercitus superâsti ; castra bina uno die capta incendisti ; Syphacem regem modò potentissimum cepisti ; et meipsum, sextum decimum jam annum hærentem in possessione Italiæ, ad patriam defendendam detraxisti. Te autem adhortor, ut memineris, fortunam quondam mihi adfulsisse.

Ex. LXIX. Vol. II. P. 437.

"Omnia decora humana fluxa sunt, et incerta. Quem modò, castris inter Anienem atque urbem vestram positis, signa Punica inferentem ad

---

[a] Ad militarem ætatem perveneras.

[b] Ultus es. [c] Ejecisti.

mœnia Romana, hic cernis, duobus fratribus clarissimis imperatoribus orbatum; ipsum Carthagini jam pæne obsessæ metuentem, quæ urbi Romæ antea sum minatus, ea ipsa mala deprecantem. Quàm levis sit fortuna, in me spectes insigne documentum[a]. Omni tuo decore una hora orbatum reddat[b]. Potior est semper certa pax, quàm sperata victoria. Si vincas[c], paullulum tantum famæ adjeceris; si victus fueris, decora præterita tibi omnia peribunt. Non quòd virtutem mei exercitûs desperem, non quòd prælium metuam, non quòd fortuna me derelictum esse existimem, te ita compello; sed ut sincera et diuturna pax, utilis, sicut opinor, utrique populo, nobis vero præcipuè, constituatur. Sicilia, Sardinia, Hispania, et quicquid insularum inter Africam Italiamque continetur, ut sint vestra, pacisci volumus. Carthaginienses intra fines Africæ sese continebunt. Hæ sunt conditiones. Haud negaverim, propter animum nuper parum sincerum, suspectam esse vobis Punicam fidem;

---

[a] Fortunæ levitatis in me intuere conspicuum (*Auct. ad Her. Tac. Plin.*) notabile (*Cic.*) exemplum.

[b] Unius horæ momentum omni te despoliet gloriâ—Fieri potest, ut una hora omni te exuat gloriâ.

[c] Si viceris—adjicies—addideris.

memineris autem ad fœdera servanda, pacemque tuendam, multum pertinere [a], per quos sunt petita. Vos quoque, ut audio, ob hoc præsertim, quia parum dignitatis in legatione erat, negâstis pacem. Hannibal nunc, peto pacem; quam, si concessa erit, utilem fore patriæ persuasum habens [b], inviolatam tuebor."

Scipio his verbis respondit, "Satis mihi compertum erat [c], Hannibal, reditûs tui spe Carthaginienses et præsentem induciarum fidem, et spem pacis propemodum compositæ turbasse. Cæterum, sicut tibi curæ est sentire cives tuos, quanto per te onere leventur, sic mihi laborandum est [d], ne prioris perfidiæ præmia habeant [e]. Neque patres nostri de Sicilia, neque nos de Hispania, bellum fecimus victoriam spectantes, sed socios nostros defensuri [f]. Vos lacessisse tu ipse fateris, hujusque rei Dii testes sunt, qui prioris belli exitum secundum jus fasque dederunt. In hoc etiam illos nobis esse adfuturos, est mihi per-

---

[a] Magni—magnopere—referre.

[b] Pro certo habens.

[c] Satis compertum habui. Mihi satis pro comperto erat.

[d] Me niti—conniti—contendere—oportet. [e] Ferant.

[f] De Hispania, victoriam spectantes, sed pro sociis nostris bellum fecimus.

suasum. Quod ad me attinet[a], humanam infirmitatem et vim fortunæ sat scio. Omnia etiam, quæcunque audemus, subjecta esse mille casibus, compertum habeo. Cæterum, quemadmodum teipsum pacem petentem haud aspernarer, si, priusquam in Africam trajecissem, tua voluntate Italiâ cessisses, sic nunc, cum te ad patriam defendendam unà mecum attraxerim, nulla sum tibi verecundiâ obstrictus. Denique, si prius pacta vobis nimis gravia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potestis." Ita finis colloquio factus est, et duces, uterque ad sua castra, recesserunt.

Ex. LXX. Vol. II. P. 441.

CICERO RUFO S. D.

Quo modo potuissem, te convenissem, si eo, quo constitueras, venire voluisses. Quare etsi, tui commodi causa, commovere me noluisti, tamen ita existimes velim, me antelaturum fuisse, si ad me misisses, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quæ scripsisti, commodius equi-

---

[a] Quantum ad me, humanam, &c. *Ita Tac. Plin. et alii pejoris ævi.*

dem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius, scriba meus adesset; de quo mihi exploratum est [a], in rationibus duntaxat referendis (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam [b]. Dein, si rationum referendarum jus vetus et mos antiquus maneret [c], me relaturum rationes, nisi tecum pro conjunctione nostræ consuetudinis contulissem, confecissemque, non fuisse. Quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret; id, quum lege Julia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdemque totidem verbis referre ad ærarium, feci in Cilicia. Neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem, sed tribui [d] tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam pœnitebit. Revera rationes confectæ me absente sunt tecum, ad quas ego nihil adhibui, præter lectionem [e]. Ita accepi librum a meo servo scriba, ut eundem acciperem a fratre tuo. De Volusio

---

[a] Mihi compertum est.

[b] Eum scientem, contra rem aut existimationem tuam nihil fecisse.

[c] Existeret. [d] Concessi.

[e] Quas tantummodo raptim percucurri. *Liv.* Legendo percurri. *Cic.* Veloci oculo percucurri. *Hor.*

quod scribis, non est id rationum [a]. Docuerunt enim me periti homines ad Volusium transferri nomen a Valerio non potuisse; sed prædes Valerianos teneri. Neque id erat HS. XXX, ut scribis, sed HS. XIX: erat enim nobis curata pecunia Valerii mancipis nomine; ex qua reliquum quod erat, in rationibus retuli.

Quod scribis de beneficiis, scito a me et tribunos militares, et præfectos, et contubernales duntaxat meos, delatos esse. In quo quidem ratio me fefellit; liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari. Postea certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem. Sane moleste tuli, non illa beneficia tuæ potius ambitioni reservata esse, quam meæ, qui ambitione nihil uterer.

Reliquum est de HS. centum millibus, de quibus memini, mihi a te Myrina literas esse allatas, non mei errati, sed tui; in quo peccatum videbatur esse, si modo erat, fratris tui, et scribæ mei. Nunc tamen id corrigi non potest. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me salvis legibus pervenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse, et eam omnem pe-

---

[a] Nihil id ad rationes attinet.

cuniam Pompeium abstulisse[a]. Quod ego sive æquo animo, sive iniquo fero, tu de HS. centum æquo animo ferre debes, et existimare, eo minus ad te, vel de tuis cibariis, vel de mea liberalitate pervenisse. Quod, si mihi expensa ista HS. centum tulisses, tamen, quæ[b] tua est suavitas, quique in me amor, nolles a me hoc tempore æstimationem accipere: nam numeratum si cuperem, non erat. Hanc epistolam cur non scindi velim, causa nulla est[c]. Vale.

Ex. LXXI. Vol. II. P. 447.

Iisdem consulibus, gravitate annonæ juxta seditionem ventum[d]; multaque, et plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quam solitum, adversus imperatorem. His commotus, incusavit magistratus patresque, quod non publica auctoritate populum coercuissent; addiditque, quibus e provinciis, et quanto majorem, quam Augustus, rei frumentariæ copiam advectaret[e]. Ita castigandæ plebi[f] compositum

---

[a] Abripuisse. [b] Ea est . . . ut nolles.

[c] Nihil causæ.

[d] Seditio pæne est orta—facta. Gravitas annonæ seditionem propemodum excitavit.

[e] Advectasset. Advexisset. *Cic. Liv.*

[f] Ad castigandam vel coercendam plebem—*multo usitatius.*

senatus consultum, prisca severitate; neque segnius consules edixere. Silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam, accipiebatur [a].

Interea magna vis accusatorum in eos erupit [b], qui pecunias fœnere auctitabant. Hoc sane urbe fenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa; eoque cohibebatur antiquis quoque, et minus corruptis, moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, nequis unciato fenere amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione tribunicia, ad semuncias redacta; postremo vetita versura [c]; multisque plebiscitis obviam itum fraudibus [d], quæ toties repressæ, miras per artes oriebantur. Sed tum Gracchus prætor, cui ea quæstio evenerat, multitudine periclitantium subactus, retulit ad senatum; trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus [e])

---

[a] Haud pro civili animo, sed pro superbia tyranni obstinata, accipiebatur. Non pro civili, sed pro tyranni animo contumaci.

[b] Frequentia sese proripuit. Multitudo sese proruit. *Ter.*

[c] Ad postremum prohibita est versura.

[d] Fraudibus obsistebatur.

[e] Ea culpa carebat. Ejus culpæ expers. Culpa vacabat. *Cic.*

veniam a principe petivere; et concedente, annus in posterum, sexque menses dati, quîs secundum jussa legis, rationes familiares quisque componeret.

Hinc inopia rei nummariæ, commoto simul omnium ære alieno; et quia tot damnatis, bonisque eorum divenditis, signatum argentum fisco, vel ærario, attinebatur[a]. Ad hoc senatus præscripserat, "duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret." Sed creditores in solidum appellabant; nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concursatio, et preces: dein strepere prætoris tribunal; eaque, quæ remedio quæsita, venditîo et emptio, in contrarium mutari[b]; quia feneratores omnem pecuniam mercandis agris[c] condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, multi fortunis provolvebantur[d], et eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps[e] dabat; donec tulit opem Cæsar, disposito per mensas millies sestercio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset. Sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti; neque emptio agrorum exer-

---

[a] Detinebatur. [b] Mutabantur. [c] Ad emendos agros.
[d] Fortunis evertebantur. *Cic.* [e] Præcipitem.

cita, ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

Ex. LXXII. Vol. II. P. 452.

In prima constitutione Zeno a natura recessit; cumque summum bonum posuisset in ingenii præstantia, quam virtutem vocamus, nec quicquam aliud bonum esse dixisset[a], nisi quod esset honestum, nec virtutem posse constare, si in cæteris rebus esset quicquam, quod aliud alio melius esset, aut pejus[b]; his propositis, tenuit prorsus consequentia. Sed ita falsa sunt ea, quæ consequuntur, ut illa, e quibus hæc nata sunt[c], vera esse non possint. Docent enim nos, ut scis, dialectici, si ea, quæ rem aliquam sequantur, falsa sint, falsam illam ipsam esse, quam sequantur. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent[d] oportere. "Si illud, hoc; non autem hoc, igitur ne illud quidem." Sic consequentibus sublatis, prima

[a] Nec quidquam aliud, nisi honestum, bonum esse dixisset.

[b] Si in cæteris rebus aliud alio melius, pejusve esset.

[c] Sunt profecta—exorta.

[d] Reddendam esse arbitrentur.

tolluntur[a]. Quæ igitur hîc sequuntur. "Omnes, qui non sint sapientes, æque miseros esse; sapientes omnes summe beatos esse; recte facta omnia æqualia; omnia peccata paria." Quæ cum magnifice primo dici videntur[b], considerata minus probantur. Sensus enim cujusque, et natura rerum, atque ipsa veritas clamat quodam modo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exæquaret, nihil interesset[c]. Si ita res sese haberet, sequeretur, quod nemo sapiens affirmaret, eum qui paricidium commisisset[d], atque eum, qui caulem furatus esset, tantundem peccasse; sequeretur etiam eos, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent[e], nisi eam plene consecuti essent, summe esse miseros: neque inter eorum vitam et improbissimorum quicquam omnino interesse; ut Plato, tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo

---

[a] Consequentibus infirmatis, prima solvuntur.

[b] Le Clerc dat etiam *viderentur*. *Cum* pro *etsi*, semper ni fallor, adsciscit modum subjunctivum. *Vid. Godesch. Stewich. Husdan. de Particulis L. Lat.* Mihi placeret præsens subjunctivi.

[c] Ad credendum adduci . . . . nihil interesse.

[d] Fecisset—patrasset.

[e] Progressi essent, nisi eam perfecte essent consecuti. Eos . . . . nisi eam plenissime consecutos.

melius, quam quivis improbissimus, nec beatius vixerit.

Ex. LXXIII. Vol. II. P. 458.

Nero jam Senecam ad mortem[a] destinaverat; et quando venenum non processerat, in eum ferro grassari statuit. Solus quippe Natalis et hactenus prompsit, "missum se ad ægrotum Senecam, uti viseret, conquerereturque, cur Pisonem aditu arceret[b]; melius fore utrique, si amicitiam familiari congressu exercuissent."[c] Senecam respondisse, sermones mutuos, et crebra colloquia neutri conducere[d], cæterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti."[e] Hæc ferre Granius Silvanus, tribunus prætoriæ cohortis, et an dicta Natalis, suaque responsa nosceret[f], percontari Senecam jubetur. Seneca, missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis, quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis, et amorem quietis excusavisse respondit; cur salutem privati hominis incolumi-

---

[a] Morti. [b] Prohiberet.

[c] Si mutuas amicitias colerent. [d] Prodesse.

[e] Pendere in, vel ex, Pisonis incolumitate.—In incolumitate positam esse.

[f] Agnosceret, *usitatius*.

tati suæ anteferret, causam non habuisse[a]; nec sibi proprium adulationis ingenium, idque nulli magis gnarum quam Neroni[b], qui sæpius libertatem Senecæ, quam servitium expertus esset.

Ubi hæc a tribuno relata sunt Poppæa et Tigellino coram, quod erat sævienti principi intimum consilium, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus, nulla pavoris signa, nihil triste in verbis ejus aut vultu, deprehensum confirmavit[c]. Ergo regredi et indicere mortem jubetur[d]. Tribunus non eo quo venerat, itinere rediit, sed flexit[e] ad Fenium præfectum; et expositis Cæsaris jussis, an obtemperaret, interrogavit. "Obtemperandum," inquit Fenius, "aut tibi est moriendum." Tribunus centurionem misit ad Senecam, qui necessitatem ultimam denunciaret. Philosophus ne-

---

[a] Nihil esse causæ.

[b] Neminem id certius scire. Nemini id magis esse cognitum.

[c] "Minime," inquit tribunus "vel pavidum, vel tristem, voce vultuve sese præbuit." "Nulla pavoris aut tristitiæ verbis aut vultu signa ostendit." *Cic.* misit. *Cæs.*

[d] Redeas ergo, inquit Nero, et necessitatem ultimam denunciato—indicito. Moriendum esse nunciato.

[e] Divertit.

quaquam territus, testamenti tabulas poposcit; ac denegante centurione [a], conversus ad amicos, "quando meritis eorum referre gratiam prohibetur, quod unum jam, et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur [b], cujus si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitiæ laturos." Simul lacrimas eorum, modo sermone, modo intentior, in modum coercentis, ad fortitudinem revocat, rogitans, "Ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia mala [c]. Cui enim ignaram fuisse sævitiam Neronis [d]? Neque aliud superesse post matrem, fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret [e]. Tum complectitur uxorem, et rogat,

---

[a] Quas denegante centurione—Quibus a centurione denegatis. Quas cum centurio abnuisset.

[b] Vos testor—testes facio, quandoquidem vestra officia rependere—compensare—non licet. Vestris in me meritis satisfacere non permittitur.

[c] Ubi rationes adversus imminentia mala—rationes tot per annos animo agitatæ.

[d] Neronis enim sævitiæ quisnam est ignarus? Neronis enim sævitiam ecquis haud novit?

[e] Nec aliud reliquum est, matre et fratre interfectis, nisi ut—necem adjiciat. Matrem necavit, necavit fratrem; quid restat, præterquam, ut his cædibus—necem addat

ut temperaret[a] dolorem, et, in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret[b]. Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. Seneca gloriæ ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret, "Vitæ," inquit, "delinimenta monstraveram tibi; tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par; claritudinis plus in tuo fine." Post quæ, eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus, et parco victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat; mortemque ut acceleraret, crurum quoque et poplitum venas abrupit. Sævis cruciatibus defessus philosophus, ne dolore suo animum uxoris infringeret, atque ipse visendo ejus tormenta ad impatientiam delaberetur, suasit in aliud cubiculum abscedere[c]. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit,

---

[a] Temperet. Dolori moderetur.

Nota. Moderari aliquid vel aliquem est *regere, moderari alicui* est *modum imponere. Vid. Steph. Thes. et Despaut. Comment.*

[b] Toleret.

[c] Ut secederet.

quæ in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo.

Nero, nullo in Paullinam proprio odio [a] et ne glisceret invidia crudelitatis, inhiberi mortem [b] imperat. Hortantibus militibus, servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum, an ignaræ. Nam, ut est vulgus ad deteriora promptum [c], non defuere, qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit [d], famam sociatæ cum marito mortis petivisse: deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam, cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria. Seneca interim, durante tractu, et lentitudine mortis, venenum, frustra autem, hausit [e]. Postremo balneo illatus, vapore ejus exanimatus est. Ita periit Seneca, philosophus virtutibus multis, itemque, uti fertur, vitiis compluribus insignis.

---

[a] Paullinæ haud inimicus.

[b] Ut mors inhibeatur. Ut morti intercedatur, imperat. Minus tamen proprie. *Inhibere* est rem cœptam, ne longius procedat, impedire; *intercedere,* nequid fiat, sese interponere.

[c] Ad obtrectationem proclive—pronum—propensum.

[d] Timeret.

[e] Venenum sorbuit, sed frustra. Venenum hausit, quod autem nil valuit.

Londini: Excudebat G. Woodfall, Angel Court, Skinner Street.

Lately published, in Two Vols. 8vo. price 21s. in boards,

GYMNASIUM,

SIVE

SYMBOLA CRITICA.

INTENDED TO ASSIST THE CLASSICAL STUDENT IN HIS ENDEAVOURS TO ATTAIN

A CORRECT LATIN PROSE STYLE.

BY THE REV. ALEXANDER CROMBIE, LL.D.

The FIFTH EDITION, Corrected and Enlarged.

Also, in 8vo. price 5s.

QUESTIONS

ON CROMBIE'S GYMNASIUM,

ADAPTED TO THE

THIRD, FOURTH, AND FIFTH EDITIONS,

AND INTENDED TO ENABLE YOUNG MEN TO PREPARE WITH PRECISION THE SUBJECTS OF THE PRELIMINARY OBSERVATIONS, AND TO ASSIST TEACHERS IN THE BUSINESS OF EXAMINATION.

BY ALEXANDER COWIE, A.M.

PUBLISHED,

BY THE SAME AUTHOR,

1. An Essay on Philosophical Necessity. In one large Volume 8vo. 1793.
2. The Etymology and Syntax of the English Language, explained and illustrated. 8vo. Third edition, 1829.
3. Letters on the Present State of the Agricultural Interest. 1816.
4. A Reply to the Strictures of the Rev. James Gilchrist, on a Treatise on English Etymology and Syntax. 1817.
5. A Letter to D. Ricardo, Esq., containing an Analysis of his Pamphlet on the Depreciation of Bank Notes. 1817.
6. Replies to Letters addressed to him by Dr. James Gregory, on the subject of Philosophical Necessity. 8vo. 1820.
7. Clavis Gymnasii, sive, Exercitationes in Symbolam Criticam, partim, sicut in veteribus exstant datæ, et partim ab auctore Latine redditæ. 8vo 1828.
8. Natural Theology, or Essays on the Existence of Deity and of Providence, on the Immateriality of the Soul, and a Future State. 2 Vols. 8vo. 1829.
9. A Letter to Lieut.-Col. Torrens, M.P., in answer to his "Address to the Farmers of the United Kingdom." 1832.
10. "The Strike," or, a Dialogue between John Treadle and Andrew Plowman. 1834.

BINDING SECT. JUL 5 - 1968

LaL.Gr
C945g

Crombie, Alexander
Gymnasium sive sy
Key

DATE	NAME
5/2/51	D J S Tho

